





SACRÆ CÆSAREÆ

MAIEST. DECLARATIO,

quomodo in negotio Religionis per Imperium vsque ad definitionem Concilij generalis viuendum sit, in Comitijs Augustanis. xv. Maij, Anno 1548. proposita, & publicata, & ab omnibus Imperij ordinibus recepta: è Germanica lingua in Latinam, quàm proximè fieri potuit, versa: & ipsius Maiestatis iussu typis excusa, ne aut ipsi propositioni, aut scripto, quod subsequitur, scribentium varietate quidquam possit addi, vel detrahi.

Huic accessit REFORMATIO, à Cæsarea Maiestate in Declaratione hac promissa.

Cum priuilegio Cæsareo Iaspar Gennepæus excudebat Anno M.D.XLVIII.

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTA-
tis declaratio, quomodo in negotio Religionis per Imperium vſq; ad definitionem Concilij generalis viuendū ſit, in Comitijs Auguſtanis .xv.Maij, Anno.M.D.XLVIII.propoſita ac publicata,& ab omnib.Imperij Ordinibus recepta.



Mperatoria Maieſtas, Dominus noſter clementiſſimus, Sacri Imperij Electoribus, Principibus, & Statibus præſentibus, abſentiumq; Legatis ac Conſiliarijs clemẽter exponit, ſe ab initio Imperij ſui omnẽ animi ac conſilij vim eò ſemper intendiſſe, vt prouidenda ſibi ac promouenda eſſe exiſtimaret, quæ cum ſalute, vtilitate, dignitate, ac gloria Reipublicæ Chriſtianæ, & præſertim Sacri Imperij Germanicæ nationis, patriæ ſuæ chariſſimę, coniuncta eſſe vllo modo viderentur, vt ſic demũ vniuerſi Imperij Ordines, membra ac ſubditi, ſub Maieſtatis ipſius alis ac felici Imperio, quieti ac concordes tranquillam & florentem vitam agerent. Animaduertit autẽ ſua Maieſtas, & perſpicuis argumentis, ac re etiam ipſa manifeſte deprehendit, niſi rebus Chriſtianè compoſitis, & pernicioſiſſimo religionis diſſidio legitimè ſummoto, vnde ortæ ſuſpitiões, diſcordiæ, bella, odia, oẽs Imperij Status magnis

hactenꝰ incómodis affeciſſent, neq; ſtatuẽdę pacis, neq; iuris exercendi, neq; certæ vllius tranquillitatis ſpem aliquã exiſtere. Quamobrẽ annis ſuperioribus omne remediorũ genus pertentãs, varia colloquia, aliasq; tractationes inſtituit: ſperans his rationibus noxiã hanc diſſenſionẽ, vel ad Chriſtianã conciliationẽ, vel certè ad ſenſum aliquẽ meliorẽ adduci poſſe. Verũ cùm animaduerſum eſſet, dũ hæc agerentur, huius diſcordiæ malũ eouſq; progreſſum, vt non Germanos tantũ, ſed pleroſq; etiã alios nominis Chriſtiani populos cõmuni contagione attactos, iam labes illa peruaſerit, ideoq; morbũ hunc iam ferè communem nulla ratione præſentius aut efficacius curari ac depelli poſſe, q̃ Concilij generalis & Chriſtiani ordinario ſalutariq; remedio, egit Cæſarea Maieſtas, efflagitantibus id ſedulò vniuerſis ſacri Imperij Ordinibus, ac poſt multas tractationes impetrauit, vt Concilium generale Tridenti in Germania inſtitutũ, tandẽ fuerit atq; inchoatum. Quare ſua Maieſtas horũ etiã Comitiorũ initio cõmũnes Imperij Status eò induxit, vt veſtigia ſanctorum Patrum, maiorumq; noſtrorũ ſecuti, qui in hiſce cauſis laborantis religionis cõfugiſſent ad œcumenica Concilia, eisq; ſemper paruiſſent, ipſi quoque inchoato Tridentino Concilio adhærerẽt, iudicium eius ac definitionẽ expectarẽt, dicto audiẽtes eſſent, eiq; ſe

com

cōmuni cōſenſione ſummitterēt: & vt ſimul Maieſtati ipſius curā omnē permitterēt rationes excogitandi Chriſtanas & cōmodas, quibus ipſi Imperij Ordines, vſque ad Concilij definitionē, pie, & quiete viuere, nemoq́; interea præter ius atq; æquitatē graue aliquid pati poſſet. Quē omniū Statuū conſenſum, cùm in ipſius Concilij obedientiā, tum in negociū alterū curæ ipſius Maieſtatis permiſſum, fatetur Cęſarea Maieſtas, ſe eo tempore grato animo ſuſcepiſſe, & nunc etiam perlibenter accipere. ¶ Ergo negotiū illud ad ſe remiſſum, Cæſarea Maieſt. paterno affectu, ſumma fide ac ſingulari diligentia perpendēs, omniumq́; Ordinū (vt ipſi quoq; probè norunt) rogatis de ea re intellectisq́; ſententijs, & rerum conditione diligenter perſpecta, nō ſine magno animi dolore cognouit, natam in Religione diſcordiam, vim malorū incredibilem inclytæ Germanorū genti hactenus attuliſſe, eiq; non minorē inde calamitatē in poſterū etiā impendere. Quare ſi pacem, iuſtitiā, & cōcordiā ſtatuere & cōſeruare velit, ſi diffidentiæ malū tollere, quo Status inter ſe vehementer laborare cœpiſſent, neceſſitatē iam extremā atque ineuitabilem poſtulare, ne cauſa hæc religionis vſque ad progreſſum & definitionem Concilij, in hac rerum omnium perturbatione & confuſione relicta penderet, ſed potius ad Chriſtianam aliquam concilia-

tionem moderationem͂q; perducta, in meliore sensu, & concordiæ publicę magis accommodato collocaretur. Non enim existimabat contrarijs sectis vndiq; erumpentib. amplius dissimulandũ esse, aut vllo modo ferendum, vt per ea pax publica impediri deinceps aut perturbari possit. ¶ Hæc ita agenti suæ Maiestati, & nihil in re graui ac difficili aut laboris aut operæ intermittenti, quidam magni nominis & status, egregia animi voluntate, qua pacem publicam & Christianã concordiam prosequuntur, & singulari in patriã charitate permoti, sententiam suam in hoc religionis negotio, quæ hic adiuncta est, opportunè obtulerũt, tradideruntq; diligentius expendendam: simul polliciti, se eam diligẽter obseruaturos esse. ¶ Hanc verò cõsultationẽ sibi oblatã, cùm Cæsarea Maiest. nõnullis Theologis peritia sacrarũ literarũ, singulari fide atque eruditione præditis excutiendam dedisset, ex eorũ relatu accepit, eam consultationem, si in sensu recto & catholico intelligatur, nostræ veræ & catholicæ religioni, Ecclesiasticę doctrinæ, statutis & ordinationib. (exceptis tantũ duobus articulis, Communionẽ vtriusq; speciei, & Coniugiũ sacerdotum contingentibus) minimè aduersari: sed potius ad promouendam ac consequendam in hoc religionis dissidio cõcordiam, ad pacem in Imperio stabiliẽdam, futuram vtilem

atq;

atque accommodatam: qualem & nunc ſua Maieſtas ſpectata horum temporum conditione, eſſe iudicat, vt quæ nihil magis optet, aut ſibi curandum putet, quàm vt videat aliquãdo vniuerſos Imperij Ordines ſub ipſius Maieſtatis Imperio in altiſſima pace degentes, vnius ſanctæ Religionis concordi vinculo cõiunctos, quemadmodũ ex ratione Imperatoriæ dignitatis ad ſe exiſtimat pertinere.

Quare nunc Cęſarea Maieſtas à communibus Imperij Statibus, qui Eccleſiæ catholicæ inſtitutiones ac decreta hactenus ſumma cũ laude obſeruauerunt, clementer requirit, vt eadem deinceps religioſe obſeruent, teneãtq; conſtanter, nec ſe ab eis auelli vllo modo patiantur, aut omnino quicq̃ immutent: quod ipſi ſe facturos, & perſeuerãter obſeruaturos eſſe iam antea obtulerũt, ac receperunt. A reliquis verò Statibus, qui nouationes induxerunt, ſimiliter ſua Maieſtas clementer, valdè ac ſeriò requirit, vt vel ad cõmunes Status accedentes, in obſeruatione conſtitutionũ & ceremoniarũ Eccleſiæ catholicæ per omnia cũ illis conueniant, vel ſaltem doctrinam ſuam & Eccleſiarũ inſtitutionẽ, iuxta prædictam conſultationẽ in omnibus moderentur, nec vlterius quicq̃ inſtituãt, aut lõgius progrediantur: quòd ſi qui fortè iam longius abſceſſiſſent, vt ij ad cõſultationis illius moderationem modis omnibus ſe recipiãt, atq; illius ſe

limitibus contineant,& vt omnes Imperij ordines,quò tranquillitati & paci publicę commodior locus esse possit, prædictam consultationem hoc tempore tolerent,eamq́; nec ipsi oppugnēt,nec ab alijs oppugnari,aut doctrina, aut scripto, aut concionibus permittant: sed Concilij generalis definitionem & declarationē æquo animo & obedienter expectēt.

Interea tamē sua Maiestas omnem curam, studium, & diligentiam adhibebit, vt generale Concilium, quod Status oēs efflagitant, celebretur primo quoq; tempore,& Germanica natio à præsenti hac dissensione penitus liberetur.

¶ Nunc quoq; Maiestas eius dat operam,vt Christiana reformatio concipiatur:his etiam Comitijs Statibus publicanda: magna spe ac fiducia,quòd hęc ipsa ad disciplinę Christianæ cōseruationem & virtutum progressum, & vt abusus & scandala tolli possint , multum vtilitatis sit allatura.

¶ Et quoniam in prædicta consultatione, sub titulo de Ceremonijs inter alia scribitur, tolli atque emendari debere, si quid fortè irrepsisset, quod causam dare possit superstitioni, &c. Reseruat sibi sua Maiestas curam in hoc ipso negotio atque alijs, vbi & quando opus fuerit, modum & ordinem legitimum constituendi.Si quid enim Cęsarea Maiestas, quod ad Dei gloriā,ad pacificandam religionem,

nem, firmandam pacem, iusticiā & tranquillitatem in sacro Imperio Germanicæ nationis, deniq; ad omnium Imperij Ordinum vtilitatem pertineat, suscipere, instituere, efficere, aut vrgere poterit, in eo se cum omni clementia, vt Imperatorem facere par est, exhibet paratissimam, quæq; omnia Cæsarea Maiestas vt animum suum declaret, communibus Statibus significare voluit.

SEQVITVR CONSVLTATIO, cuius prius mentio facta est.

DE CONDITIONE hominis ante lapsum



Eus creauit initio hominē ad imaginem & similitudinē suam, eumq; gratia ornauit, & fecit p originalē iusticiam, vt esset omnib⁹ cum corporis, tum animi viribus rectus, nec agitaretur vllis turbidis & prauis motibus: sed in eo caro spiritui, atq; inferiores animi vires superioribus, quæ tantum ad bonū hortabantur, parerent.

Genes. 1

Eccle. 15

Cum igitur animus hominis tam bene constitutus esset, reliquit eum Deus in manu cōsilij sui vsq; eo, vt non minorem haberet vim ad eligendum bonum, quàm malum.

¶Quòd si hac libertate sua vsus fuisset recte, & mandatis, quæ ipsi Deus dederat, obedisset, bona quæ acceperat homo, atque iustitiam sibi & omni posteritati suę cōseruas-

ſet, nihilq́; ei ac poſteritati ipſius defuiſſet ad bene beateq́; viuendum:non fames,non ſitis, non frigus,non æſtus,nõ dolor,non morbus, non mors eum afflixiſſet, omne deniq; pecca tum atq; vicium vitaſſet, nec ab illis tanquã peccatorum ſtipendijs periculum ei vllum poſterisq́; illius allatum fuiſſet.

DE CONDITIONE hominis lapſi.

VErùm poſtq̃ primus parens noſter, contrà quàm mandauerat Deus fecit, incidit in pœnam à Deo propoſitam, & iuſticiæ originalis donum pulcherrimum amiſit: hinc carentia iuſticiæ huius vnà cum vicioſo concupiſcentiæ habitu, quæ ſpiritui & ſuperioribus animi viribus perpetuò repu gnant.Quod peccatum(hoc eſt,priuationem illius iuſticiæ, qua parte rationem ſubditam
Rom.7. reddebat Deo,vnà cum concupiſcentia) Adã in omnem poſteritatem ſuam propagauit,vt
Ephe.2. cum eo omnes quotquot in hanc lucẽ eduntur,homines naſcãtur,nec eo vacuus ſit vllus,
Iob.25. ne vni⁹ quidẽ diei infans,ſecundũ ſcripturas.
1.Cor.2. Hinc illud naturæ noſtræ vulnus, vt animalis homo nõ percipiat quæ ſunt ſpiritus,
Rom.8. nec eadem ante gratiam expetat,atque liberè eligat, cùm concupiſcentia & affectus carnis,qui in eo dominatur,inimicitia ſit aduerſus Deum, & à lege Dei abhorreat, tantoq́; magis impediat in bono, quanto magis ad

ma

malum impellit. Et quanquam retinet homo talis libertaté arbitrij, licet infirmam & læsam, ex qua tanq̃ fonte profluunt & virtutes morales ethnicorum, & harum actiones, tamen ante gratiam Dei & reparationem ad iusticiá, quæ coram Deo valeat, aspirare haud potest, sed est potius seruus peccati, sathanæ mancipiú, inimicus Dei, & malis huius mundi obnoxius. Premitur enim fame, siti, frigore, æstu, dolore, morbo, & ad extremum morte ipsa euertitur. Per vnum enim hominem Rom. 5.
peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Hæ autem istius primę præuaricationis pœnæ renatis cum peccatoribus communes sunt: illis tamen à Deo etiam ad exercitium adhibentur, iniustis & impijs infliguntur ad pœnam. ¶Adde huc, quod in homine tali, quem peccatú originale deprauauit, quoad natura tantum constat, nec per gratiam instauratur, regnat vnà cum concupiscentia praua etiam sathan, qui eum vinculis seruitutis suę constrictum tenet, in eoq; operatur, vt conuersetur in desiderijs suis, faciens voluntatem carnis & cogitationum, ac originale quod à parétibus traxit peccatum, actualibus cumulet, sitq; filius iræ, secundum Apostolum: vt si in hac miserrima conditione sua moriatur, iusto tandem Dei iudicio in gehennam coniectus, æternis ibi supplicijs plectatur, vbi nec ignis eius (vt apud Ephes. 2.

Esaiæ.66. Esaiam scriptum est) extinguetur, nec vermis morietur.

DE REDEMPTIONE PER Christum Dñm nostrum.

Ioan.3. Deus igitur qui diues est in misericor-
Roma.3. dia, nolens perire quos condiderat, filium suum misit in mundũ, vt cùm impossibile esset homini seipsum liberare, in domino hoc nostro atq; saluatore haberet re-
Ephesi.1. demptionem per sanguinẽ eius, vt scriptum est apud Apostolum.

Esaiæ.53. Posuit enim Deus super eum iniquitates nostras, vt in corpore suo peccata ferret in
1.Petri.2. cruce, affigens ea in ligno. Hic cùm innocens pro nobis peccatorib. pateretur, atq; satisface ret, redemit quidem nos, & Deum patrem ita placauit, vt idem pater miseros nos & peccatis inquinatos, ob sanguinem ipsius absolue-
2.Cor.5. ret, ac sibi reconciliaret. Verè enim (inquit Paulus) erat Deus in Christo, mundum reconcilians sibi, nó reputans illis delicta ipsorum.

Et quanquam Deus gratuitò, & propter nomen suum propitius est nobis, & iniquitates nostras delet propter se, tamen ne sine vllo satisfactionis precio peccata nostra remitteret, ad ostensionem iusticiæ suæ, pro in-
Roma.3. comprehensibili sapientia & immensa bonitate sua, iusticiam cum misericordia miscuit, & voluit vt precium pro redimendis nobis filij sui sanguine constitueretur, vt quas nos

pec-

peccatores dare deberemus pœnas, easdem agnus ille innocentissimus perferret in cruce, nosq; è vulneribus ipsius quod nobis miseris deesset, redemptionis precium mutuari, & ad liberationem salutemq; nostram vsurpare possemus: vt cùm misereatur nostri benignissimus pater gratuitò, non tamen misereatur nisi interueniente sanguine filij sui: vt quod nobis hic gratis contingit, id tamen merito ac iusticię Christi acceptum ferre debeamus: vt quicunque gloriatur, in hoc domino redemptore & saluatore nostro glorietur.

DE IVSTIFICATIONE.

¶Iam qui precioso sanguine Christi redimitur, & cui meritũ passionis Christi applicatur, is cõtinuò iustificatur, hoc est, inuenit remissionem peccatorũ suorum, à reatu æternę damnationis absoluitur, & renouatur per spiritũ sanctũ, atq; ita ex iniusto fit iustus. Nã Deus, quãdo iustificat, nõ humano tantũ more agit cum homine, vt ei ignoscat duntaxat, peccatum donet, & reum absoluit: sed facit etiã meliorem, id quod homines tribuere nec solent, neq; possunt. Cõmunicat namq; cum illo de spiritu suo sancto, qui purificat cor ei⁹, & per charitatem in eodem corde diffusam incitat, vt quod bonum ac iustum est expetat, & expetitum opere ipso persequatur.

¶Hæc est vera illa iusticiæ inhærentis ratio, quã desiderabat Dauid, cũ hãc mitteret vocẽ:

Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus,& spiritũ rectum innoua in visceribus meis. De hac Apo
1. Cor. 6 stolus scribit: Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. & cùm inquit, Deum secundũ
Tit. 3. suam misericordiam nos saluos fecisse per lauacrum regenerationis,& renouationis spiritus sancti, quẽ effudit in nos abundanter per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundũ spem vitæ æternæ. ¶ Quanquã aũt iusticia hæc, quæ è fonte spiritus legis profluit, longè est abundantior, quàm fuit Scribarũ & Pharisæorum iusticia, tamen in ijs, qui hac præditi
Matt. 5. sunt, nihilominus concupiscentia repugnat
Galat. 5. spiritui, quoad hîc viuitur: eò fit, vt ijdem illi
Rom. 7. mente quidem seruiãt legi Dei, carne autem
1. Ioan. 1 legi peccati,& sine peccato non viuant.

Cùm igitur homo plenã iustitiæ inhærentis perfectionẽ, quoad in hac terra viuit, non cõsequatur: certè Christus, qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redem-
1. Cor. 1 ptio à Deo, nobis in hac etiã parte benignissime succurrit, quatenus & per cõmunicationem iusticiæ suæ, iusticiã hominis de illa participantis inhęrentem, vt effecit, ita auget, vt de die in diem renouetur, donec in æterna patria plenè perficiatur,& per meritũ sanguinis sui preciosi, atque iusticiam, quam constituit perfectissimã, impetrat homini indulgentiã, vt quod homo per infirmitatẽ suam minus

po-

poteſt,id per ipſius Chriſti perfectionem recuperetur ac condonetur. Hinc illa Ioannis conſolatio: Filioli,hęc ſcribo vobis vt nō peccetis: ſed & ſi quis peccauerit, aduocatū habemus apud patrem Ieſum Chriſtū iuſtum: ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris.

Concurrunt quidem Chriſti meritum & iuſticia inhærens,ad quā renouamur per donum charitatis.Inhęrens,vt ex ea piè,iuſtè,ac ſobriè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem,& aduentum glorię magni Dei & ſaluatoris noſtri. Sed meritū Chriſti,vt ſit iuſticiæ noſtræ idhærentis cauſa, & cùm in multis làbamur omnes,ac propter infirmitatem imperfectionemq́; noſtrā multa occurrant,quę animos noſtros turbare,& ad deſperationē ſollicitare poſſint, in eodem merito & precioſo Chriſti ſanguine reſpiremus, ac inueniamus, quo ad ſpem ſalutis firmiſſime niti valeamus. Nam in Chriſto Ieſu domino redemptore & ſaluatore noſtro, quē induūt pij,& cum quo donantur eis omnia,ſecundū Apoſtolum, Omnia nobis ſunt firmiſſima,ſolidiſſima, & perfectiſſima, vt eiſdem ipſis ad ſpem viuam rectè fulciamur. Rom.5.

DE VTILITATE ET FRVctibus iuſtificationis.

HAbent quidem iuſtificati pacem ad Deum per Dominū noſtrum Ieſum Chriſtū: eis namq; Deus eſt placatus, miſe-

misericors & propitius, vt sperare possint, si cùm inimici essent, Deus recôciliauerit sibi ipsos per mortem filij, multò magis futurũ esse, vt reconciliati saluẽtur: vt verbis Apost.
Roma.8. quæ consolationis plenissima sunt, vtamur.

Item, qui iustificantur, ijdem etiam adoptantur Deo filij, vt hæredes sint patris æterni in cœlis, cohæredes autem Christi, autore Paulo, & iam habeant ius adeundæ hæreditatis illius, quæ est vita æterna.

DE MODO PER QVEM iustificationem accipit.

Tit.3. ET si Deus nõ ex operibus iustitiæ, quę fecit homo, sed secundum suam misericordiam iustificet eum, idq; gratis, hoc
1.Ioan.1. est, sine merito eius: vt si gloriari velit, in Christo tantum glorietur, cuius solius merito redimitur à crimine, & iustificatur: tamen misericors Deus nõ agit hîc cum homine vt cũ trunco, sed trahit eum volentem, si adultus sit: ille nim non accipit beneficia illa Christi, nisi præueniente gratia Dei, mens eius atque voluntas moueatur ad detestationẽ peccati. Nam cũ peccatũ separet inter Deum & nos,
Esaiæ.59. vt Esaias inquit, nemo ad thronum gratiæ & misericordiæ accedere potest, nisi qui prius per pœnitentiã ab eodẽ peccatõ fuerit auer-
Matth.3. sus. Itaq; Ioannes cùm præpararet viam Do-
Mar.1. mino, dixit: Agite pœnitentiã appropinquat enim regnũ cœlorum. ¶ Mox eadem gratia di-

diuina mouet mentem in Deum per Christũ: & hic motus est fidei, per quam homo sine hæsitatione credens scripturis sanctis, & promissionibus quas eędem adferũt, assentitur. Christus enim ipse cùm primò ęxegisset pœnitentiã, mox fidem talẽ requirit, inquiens: Quoniã impletũ est tempus & appropinquat regnum Dei: agite pœnitentiam, & credite Euangelio.

¶ Qui ita credit, & à diuinæ iusticiæ timore, quo vtiliter concutitur ad considerandã misericordiã Dei, & redemptionem per sanguinem Christi est conuersus, hic erigitur, & mouente gratia Dei, concipit fiduciã atq; spem, vt credat præter spem meriti sui in spe misericordiæ promissæ, tribuens gloriam Deo, atq; ita perducitur ad charitatem. Rom. 4. ¶ Tali in Deum fide quicunq; misericordiæ diuinæ ac Christi merito nititur, seq; eisdem committit, accipit promissionẽ Spiritus, & sic iustificatur per fidem in Deum, secundum scripturas, vt ei non Galat. 3. solum remittatur peccatũ, sed idem etiam sanctificetur & renouetur per spiritũm sanctum. Ea namque fides impetrat donum spiritus sancti, quo diffunditur charitas in cordibus nostris: quæ quatenus ad fidem & spem accedit, eatenus per iusticiam inhærentem vere iustificamur. Hæc enim iusticia, fide, spe, & charitate ita constat, vt si aliquam harum iusticiæ huic subtraxeris, eandem ipsam planè mancam reliqueris.

¶ De charitate, & bonis operibus.

CHaritas aūt, quæ est finis præcepti & plenitudo legis, simulac iustificationē ingreditur, fœcunda est, iamq; omniū bonorū semina intra seipsam includit, quę vt parata est ferre bonos iustitiæ fructus, ita fert eos in iustificato q̃ primum & quoties debet, eiq; operādi facultas impedimēto aliquo non adimitur. Itaq; fides, quæ per dilectionē non operatur, non videtur viua, sed sterilis potius ac mortua, autore Iacobo. Quinimo homo quantalibet fide præditus, si ei desit charitas, manet in morte, vt Ioānes testatur: cùm pręsertim charitas iam esse debeat pars vitæ æternæ in nobis inchoatæ, & tandē per glorificationē perficiēdæ. Quanquā enim fides & spes desinent cùm migrauerim⁹ in illa æterna tabernacula, charitas tamen manebit, & in eadē ipsa introibit, vt secundū eam beatissime viuere, ac Deo, qui tum nobis erit omnia, sempiterno æuo frui possimus. Est tamen fides nihilominus vera, qua Christiani ab infidelibus discernuntur, quatenus scripturis & reuelatis à Deo assentiuntur, & si eadem à charitate disiuncta sit. ¶ Ex hoc maximo Dei dono, quod quantò magis in nobis augescit, tantò magis vetustas carnis nostrę imminuitur: manāt tanquam è fonte bona opera ad salutem cuiusque iustificati: quæ tam necessaria sunt, vt qui ea non fecerit cùm tenetur, gratiam

1. Tim. 1. Rom. 13. Psalm. 1. Galat. 5. Iacobi. 2. 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13 1. Cor. 15

Dei

Dei amittat, & tanquam palmes inutilis excindatur à Christo,& in ignem proijciatur,vt Christus ipse in Euangelio docet. Ioan.15. Matth.7.

Et quanquam opera hęc talia sunt,vt Deus iure quodam suo ea à nobis exigere possit, & sancti etiam si omnia quæ eis præcepta sunt fecerint,& agnoscere,& dicere debeant,se esse inutiles seruos: tamen cùm ex charitate profluant,& gratiæ Dei effectus sint,ac quia Deus secundum suam voluntatē operantibus mercedem liberalissime promisit,eadem & temporalium bonorum & æternæ vitæ remuneratione dignatur , secundum Apostoli testimonium,inquientis:Abundate in omni opere bono,scientes quòd labor vester nō est inanis in Domino. Non enim est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine eius. Lucæ.17. Hebræ.6.

Ac iustificati iā & serui facti iusticiæ,membra sua exhibentes serua iustitiæ ad sanctificationē cooperātegratia, bonis operibus abundant: & quanto magis ei sdē abundant, tanto maiora iusticię incrementa ipsis adiungūtur, vt qui iusti sunt iustiores fiant. Ne verearis (inquit scriptura) iustificari ad mortē. Item: Qui iustus est , iustificetur adhuc : & qui in Christo fructuosus est,repurgatur à patre cœlesti, vt fructum copiosiorē ferat, vt Christus ipse docet. Et hæc est illa ex operibus iustificatio,de qua Iacobus frater Domini. Roma,6. Eccle.18. Apoca.2. Iacob.2.

Quod reliquum est, & si opera à Deo mandata vt necessaria ad salutem, sunt pręcipuè vrgenda, iuxta illud Christi: Si vis vitā ingredi, serua mandata: quæ tamen præceptis superaddita, aut piè, aut honestè suscipiuntur, ipsa etiā cōmendanda sunt, ne à spiritu sancto multa horū in scripturis sanctis cōmendante discrepemus: aliàs relinquere aut vendere oīa, & sequi Dominū: item, seruarę virginitatē & continentiā, bonū & vtile non esset: quinimo Dauid, cùm saltaret ante arcā, iure fuisset irrisus à Michol: item, Paulus frustra remisisset salarium ijs, quibus verbū Dei prædicauerat.

Matt, 19. 1. Reg. 6. 1. Cor. 9.

Breuiter, Discernenda sunt opera supererogationis, quæ supra præceptū (vt verbo Chrysostomi vtamur) fiunt ab ijs, quę contra præceptū fiunt. Hæc enim Christus ipse damnat, vt fermentū Pharisæorū: At illa Spiritus sanctus in scripturis loquens cōmendat, inquiēs: Volūtaria oris mei beneplacita fac Domine.

Lucæ. 12. Psal. 118.

DE FIDVCIA REMISSIOnis peccatorum.

HIC cauendum est, ne aut homines faciamus securos nimis, sibiq; fidentes, aut anxia dubitatione in despetationē impellamus. Itaq; quum Paulus dicat, se quidem nullius peccati conscium, sed in hoc tamen non iustificatum esse: homo non potest sine dubitatione propriæ infirmitatis aut indispositionis, credere sibi peccata remissa esse: sed

1. Cor. 4.

ſed tametſi nõ debet ſe in ſeipſo iactare, nõ ita tamen terrendus eſt, vt de promiſſis Dei, deq; mortis & reſurrectionis Chriſti efficatia dubitet, & deſperet ſe remiſſionẽ peccatorum conſequi poſſe: quin ei omnis ſpes, & totius fiduciæ certitudo eſſe debet in precioſo ſanguine Chriſti, qui effuſus eſt propter nos & propter noſtrã ſalutem: in quo ipſo reſpirare nos atq; confidere, & poſſumus certò, & debemus confirmante nos ſpiritu ſancto, qui dat teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſimus filij Dei. Roma.8.

DE ECCLESIA.

NVnc de Eccleſia, quæ eſt vniuerſitas Chriſtifidelium, agendum videtur: in quam Spiritus ſanctus ita cõtrahit ac iungit renatos & Chriſtianos, vt ſit vna domus, vnũ corpus ab vno baptiſmo & vna fide, quæ autore Paulo, vna eſt in omibus Chriſtianis. Itaq; neceſſe eſt, vitam Chriſtianorũ, vt ad perfectum finem, quò tendit Eccleſia, perueniatur, bonã eſſe & piam. Nemo tamẽ ſibi perſuadeat, vllam vitę probitatẽ ſibi profuturam eſſe, niſi ſe huic fideliũ vnitati & cõmunioni iunxerit atq; accõmodauerit. Eſt igitur Eccleſia domus Dei viuentis, & corpus illud, cuius caput eſt Chriſtus. Multi enim vnum corpus ſumus in Chriſto, inquit Paulus. Pro hac Eccleſia idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſe tradidit, vt eã ſanctificaret, mũdãs ipſam lauachro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glo- Ephe.4. 1.Tim.1. Ephe.10.

 rio

riosam, nō habentē maculā aut rugā, aut aliqd huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.

At cum Ecclesia sit vnica illa columba & corpus vnum, certe vt hanc solam spiritu suo sanctificat & fouet Christus, ita extra eam dona gratiæ suæ tribuit nemini. Qui igitur in communione huius corporis non est, nihilo magis spiritu sancto viuificatur ad salutē æternam, q̄ vllum membrum naturale à corpore suo abscissum atq; auulsum ad vitam naturalem, eò quòd spiritu vitali ab vno suo capite defluente non amplius vegetatur. Itaq; credendum est, neminem extra Ecclesiam Christianum, & communionem eius spiritualem, vitam æternam consequi posse. Communionis autem huius eam esse rationem, vt quum spiritus Christi ab eo vt capite delabatur in corpus suum, hoc est, Ecclesiā, & omnia membra huius permeet, singula membra percipiāt ex eo quantum sibi satis sit ad salutē, & quod singulis bonum contingit, id omnibus commodare, atq; adeò vniuersitati ipsi consulere.
Ephes.4. Nam, vt ait Apostolus, crescunt membra in charitate per omnia in illo, q est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem vniuscuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. In tali coniunctione atque societate hominum est summa coniu

iunctio, dum membra pro se inuicem solicita sunt:& siue patitur membrum vnum,patiuntur omnia membra:siue gaudet membrum vnum,congaudent omnia membra.

Et quanquam Ecclesia, quatenus constat membris talibus, quæ secundum charitatem viuunt,Sanctorum est tantùm, & eatenus spiritualis & inuisibilis,eadem tamen etiam sensibilis est, qualem Christus ipse monstrat, inquiens: Dic Ecclesiæ. Ad hanc eandem pertinent Episcopi, qui regant populum, quem Christus suo sanguine acquisiuit: pertinent alij item ministri.Dedit namque Deus quosdam quidem Apostolos,quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios Pastores & Doctores. Ad hanc eandem Ecclesiam pertinet verbum Dei,quod in aures influat: pertinent Sacramenta, pertinent claues ligandi atque absoluendi,pertinet potestas coercendi per excommunicationem, pertinet ius ordinandi ministros Ecclesiæ, pertinent vocationes ad munera Ecclesiastica, pertinet deniq; ius sanciendi canones. 1.Cor.12. Mat.18. Ephesi.4.

Debent autem quæ ad sensibilem & externam Ecclesiæ partẽ pertinent, seruire ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi. Iam in Ecclesia non solum sancti, sed etiam mali vt huius membra, licet arida, versantur: vnde eam Christus modo reti in mari iacto, & tam Ephe.4. Mat.13.

bonos q̃ malos pisces comprehendenti: modo agro seminato, bonas fruges & zizania simul fereti comparat. Nam qui membra facti sunt Ecclesiæ per baptisma, recidunt sæpe in crimina, faciuntq; se seruos peccati, atq; ęternę damnationis reos. Et quanq̃ gratiam cõmunionis Sanctorũ & spiritualis Ecclesiæ amittunt, hærent tamen nihilominus in externa Christianorum societate & Ecclesia. Audiunt verbum Dei, & sacramenta capiunt, & alia item sensibilia cum Ecclesia habent communia, nisi vel per excommunicationem iustam, vel per schisma, vel per hæresim, vel per defectionem à fide Christiana abscindantur.

Misera est quidem conditio eorum, qui ex peccato mortali languent, & à spirituali communione remoti, in periculo æternæ damnationis versantur: sed quia tamẽ eis verbũ Dei audire, & sacramẽtis item vti licet vtiliter, hisce tanq̃ instrumentis diuinæ gratię, in cõmunionem Sanctorum restitui facilius possunt, prĕsertim cùm in Ecclesia etiam externa Spiritus sanctus salutem per verbũ Dei & Sacramenta operetur. Verùm schismatici, hæretici, & à fide Christiana desciscentes quia nõ solũ à spirituali, sed etiã externa societate seiuncti sunt, quamdiu in hoc calamitoso sunt statu, nõ habent quo possint iuuari ac recreari: imò tanq̃ membra à toto Ecclesiæ corpore abscissa in suam ipsorum perniciem putrescunt, non

digni qui in vlla corporis Christi parte consi-
stant, cuius vnitatem tam turpiter scindunt
atque lacerant. Hinc illud Apostoli: Homi- Tit.3.
nem hæreticum post vnam & alteram admo-
nitionem deuita, sciens quia subuersus est, qui
huiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iu
dicio condemnatus.

DE NOTIS ET SIGNIS Ecclesiæ veræ.

AC quoniam varij sunt cœtus humanæ
consociationis, operæprecium est no-
tas & signa, quibus Ecclesia ab alijs so
cietatibus humanis discernatur, nosse: cũ prę-
sertim, qui ab Ecclesia vera deficiunt, schisma
tici atq; hæretici, constituant suos cœtus, eisq́;
autoritatem & nomen Ecclesiæ adiungere nõ Mat.24.
dubitent, & alij eorum alio in loco Christum
esse dicant: à quibus vt caueamus nobis Chri- 1.Tim.2
stus ipse monet. Sunt igitur signa Ecclesiæ ve-
ræ, hoc est, magnæ illius domus, in qua non so
lum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea
& fictilia: & quædam in honorem, & quędam
in contumeliam, Doctrina sana, & rectus Sa-
cramentorum vsus, quibus ab ethnicorum &
Iudæorum cœtibus Ecclesia disiungitur, quo-
rum vtriq; & sana doctrina, & sacramentis no
ui Testamenti carent. Tertium signum est vni Ephe.4.
tas, quæ vinculo charitatis & pacis cõtinetur,
ac membra Ecclesiæ ita conglutinat, vt nõ so
lum quod perpetuus Sanctorum cõsensus ab
apo

apostolis vsque ad nos recepit & approbauit, idem sentiant, sed etiam idem loquantur, mo-
1.Cor.1 nente Apostolo : Obsecro autem vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia. Quartum signum Ecclesiæ veræ est, quod sit catholica & vniuersalis, hoc est per omnia loca & tempora diffusa, & per apostolos eorumq; successores continuata vsque ad nos, successione propagata vsq; ad fines terræ, iuxta promissiones Dei: Postula à me, & da
Psalm.2. bo tibi gentes hæreditatem tuam, possessionē tuam terminos terræ. Item: Multi venient ab
Matt.8. occidente & oriente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Item:
Act.1. Et eritis mihi testes in Hierosolyma, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Item: Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.

Hæc duo signa distinguunt Ecclesiam Christianam à Schismaticorum atque hæreticorum gregibus, qui vinculum pacis rumpunt, & à catholica vnitate seipsos in suam ipsorum perniciem diuellunt, dum partem suam toti atque vniuersi Ecclesiæ anteferunt.

DE AVTHORITATE ET potestate Ecclesiæ.

Etsi

ETsi scriptura (vt Christus inquit) solui nõ potest,& idcirco immobilis,& omni humana authoritate maior est, tamen fuit penes Ecclesiam authoritas discernendi scripturas veras ab adulterinis : hinc Canon scripturarum, qui germanas à falsis, quæ sub nomine Apostolorum & discipulorum domini obtrudebantur, discreuit. Ioan.10.

Et vt Ecclesia huius rei authoritatem potestatemq; habuit semper, sic etiam interpretandi,atq; adeo ex eisdem scripturis eliciendi & explanandi dogmata. Quippe cùm huic spiritus sanctus non desit, qui ipsam in omnem ducat veritatem,quemadmodũ Christus ipse promisit. Hinc illud Petri: Omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit,sed spiritu sancto inspirati,sic loquuti sunt sancti Dei homines. Atq; hæc interpretãdi potestas, cum primis necessaria est,in ijs præsertim quę difficilia sunt intellectu,id qđ res ipsa docet. Ioan.16 2.Pet.1.

Habet præterea Ecclesia traditiones à Christo & Apostolis per manus Episcoporum ad hæc vsq; tempora delatas, quas qui conuellit, is negat eandem columnam esse & firmamentum veritatis. Huius generis sunt, Baptismus paruulorum,& alia.

Constat itẽ potestatẽ coercendi,atq; excommunicandi esse penes Ecclesiã,idq; ex instituto Christi de potestate ligandi. Huic consentaneũ est illud Apostoli : Tollit malũ à vobis. Matt.16. 1.Cor.5.

Ha-

Habet item poteſtatem iuriſdicendi. Nam cui competit ius coercendi, & poteſtas iuriſdicendi deeſſe non poteſt.

At ſi quæſtiones dubiæ oriātur in Eccleſia, habet quidem hæc poteſtatem iudicandi de eiſdem, atq; decernendi, idq́; per Synodum, & quòd hæc in ſpiritu ſancto legitimè congregatā decernit, Spiritus ipſe ſanctus decernere videtur, iuxta illud Concilij Hieroſolymitani: Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis. (Acto. 15.) Itaq; ſaluberrimam eſſe Conciliorum authoritatem dubitare debet nemo.

Et quod ex eodem Concilio Hieroſolymitano intelligitur, eſt etiam penes Eccleſiā poteſtas conſtituendi Canones, idq́; ad vtilitatē Eccleſiæ, cuius poteſtas omnis eſt ad ædificationem, & non ad deſtructionem.

DE MINISTRIS Eccleſiæ.

HAbet Eccleſia doctrinā diuinitus traditam, quæ populo explicanda eſt, habet ſacra & externa, quę piè & ſalubriter ad vtilitatem Chriſtianorū tractāda ſunt, atq; explicanda, quò minus miniſtri qui muneribus ad has res neceſſariis funguntur, eidē Eccleſiæ deeſſe vel poſſunt vel debent. Ac munera qnidem hæc omnibus Chriſtianis communia non ſunt, verùm Deus ipſe initio dedit quoſdā quidē Aopoſtolos, quoſdā prophetas, (Ephes. 4.) alios verò Euāgeliſtas, alios aūt paſtores & do

ctores ad cõsummationẽ ſanctorũ in opus mi
niſterii,in ædificationẽ corporis Chriſti. Itaq;
tempore Apoſtolorũ nõ omnib' data fuit po
teſtas ad functionẽ munerũ Ecclesiæ,ſed certis
tantũ,iisq; ad eadẽ ipſa ſegregatis. Nam cùm
Antiochię eſſet Barnabas,Lucius,Manahen,&
Saulus miniſtrantibus illis Dño, (vt Lucas in
Act.Apoſt.ſcripſit) & ieiunantibus,dixit illis Act.13.
ſpiritus ſanctus:Segregate mihi Saulũ & Bar-
nabã in opus ad quod aſſumpſi eos. Cauendũ
eſt igitur nobis,ne ſpirituale ſacerdotiũ,quod
omnib. Chriſtianis,quos ſpirit' ſanctus vnxit,
cõmune eſt,cum hoc externo atq; miniſteria-
li, quod nõ oĩm eſt, ſed eorũ tantũ qui ad hoc
vocati atq; ritè ordinati ſunt,cõfundamus:qđ
ſine graui ac perniciosa Eccleſiarũ perturba-
tione atq; calamitate accidere non poteſt.

DE PONTIFICE SVMMO & Epiſcopis.

Atque vt Eccleſia quę eſt vnius capitis
hoc eſt,Chriſti,vnũ corpus,eò facilius
in vnitate cõtineri poſſet: Etſi multos
habet Epiſcopos, q populũ eius,quẽ Chriſtus
precioſo ſanguine ſuo acquiſiuit,regãt,idq; iu
re diuino: Vnũ tamẽ in remediũ ſchiſmatis,q
cæteris omnib' præſit,cũ plenitudine poteſta
tis,ſummũ Pontificẽ habet,idq; pro prerogati
ua Petro cõceſſa, qđ ipſum q̃ vtile ſit ad auer-
tenda ab Eccleſia ſchiſmata, ſatis cõſtat ijs, q
nõ ignorãt à cõtemptu huius Summi ſacerdo
tis

tis plerunq; ſchiſmata orta eſſe, vt Cyprianus
Ioan.21. ſcribit, & res ipſa teſtatur. Qui igitur Cathedram Petri tenet Summus Pontifex, eo iure
1.Cor.10 13. quod Petrus accepit à Chriſto, dicente: paſce oues meas: vniuerſam Eccleſiã & gubernat & gubernare debet. Qua tamẽ poteſtate ſua vti debet nõ ad deſtructionẽ, ſed ad ædificationẽ. Hanc aũt plenitudinẽ poteſtatis, ſic videtur Chriſtus Petro eiusq; ſucceſſoribus dediſſe, vt reliqs Epiſcopis partẽ ſolicitudinis eis cõmiſſæ non abſtulerit, ſed ſuarũ Eccleſiarũ & Diœceſiũ veros iure diuino Epiſcopos eſſe voluerit. Debẽt aũt Chriſtiani oẽs & Pontifici Summo, & ſingulis ſuis etiam Epiſcopis parere, iuxta illud Apoſtoli: Obedite prępoſitis veſtris,
Heb.13. qui vigilant pro animabus veſtris.

DE SACRAMENTIS in genere.

SAcramenta duabus potiſſimum de cauſis diuina authoritate inſtituta ſunt: Altera vt ſint ſigna & notæ quædam magnæ illius congregationis, quæ eſt Eccleſia: in nullum enim nomen coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorũ vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur. Quam obrem doninus noſter Ieſus Chriſtus ſocietatem noui populi Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione pręſtantiſſimis, colligauit: Baptiſmo videlicet, Confirmatione, Euchariſtia, Pœnitentia, Extre

trema vnctione, Ordine, & Matrimonio. Altera verò est, vt non solum significent, sed etiam sanctificent, & conferant inuisibilem Dei gratiam, non propria rerum externarum virtute aut merito ministri, sed domini instituetis ac secretius operantis. Itaque etsi decet bonum esse Sacramentorum ministrum, tamen malus etiam potest ea vtiliter dispensare.

DE BAPTISMO.

AC primo quidem quia homini ad salutem necessarium est, vt regeneretur in nouam creaturã, cùm aliâs natura sit filius iræ, instituit Christus ipse Sacramentum Baptismi, vt sit lauachrum illius nostræ regenerationis: quod sanè homini non minus est necessarium ad vitam nouam atq; spiritualem, quàm natiuitas carnalis, ad vitam naturalem. Nec salutem quisquam consequi potest, nisi aqua & spiritu sit renatus, vt Christus ipse testatur. Hoc igitur Sacramentum abluit nos, sanctificat, iustificat. Hoc Sacramentum facit, vt consequamur remissionem peccatorum nostrorum, originalis atque actualium. Hoc denique Sacramentum tale est omnino tamque salutare, vt qui eo initiatur, induat Christum, vt Paulus scribit. Ioan.3. Galat.3.

Constat autem Sacramentũ hoc verbo Dei & aqua, nam simul ac verbum ad elementum accedit, fit Sacramentum, cuius lauachro rege-

regeneramur & mundamur ab omni peccato. Itaq; quoties aquam corpus abluentem cernimus foris, toties ſpiritum quem nō cernimus intus, plus operari cogitemus.

Iam formam verborum ſine quibus myſterium hoc confici non poteſt, Chriſtus apoſtolis tradidit: cùm præceperit, vt in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti baptizarent. Huic
Mat. 28. præcepto domini, quoties baptiſmus confertur, & fides accipientis, ſi adultus ſit, pro infantibus vero cum ſuſcipientium eos & pro ipſis confitentium, tum totius Eccleſiæ fides & fungentis miniſtri verbum innititur, quatenus hic ait: Ego tē baptizo in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.

Ac nobis quidem videtur ad excitandam fidem conſolationemq; adultorum vehementer pertinere, vt intelligant, qui in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti baptizātur, ſe iam poteſtate, virtute & potentia patris & filij & ſpiritus ſancti conſecrari ac ſanctificari, ſeq; totos reconciliari Deo, & iam peculium Dei fieri, qui eſt pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, in cuius tutelam iam tranſeunt, ſeq; fœdere ſempiterno cum Deo iungunt, quatenus diabolo eiuſq; operibus abrenunciant, promittuntq; ſe Deo militaturos.

Quod autem ad munus baptizādi attinet, & ſi hoc ad ſacerdotes maximè pertinet, tamē laicus etiā rectè & vtiliter in caſu neceſſitatis

baptizare poteſt. Nec ſi hæreticus baptizaret, dummodo debita materia,forma & intentione vtatur,Sacramentũ hoc iterandũ eſt : cùm hoc idem non dignitate miniſtri, ſed veritate verbi diuini & ſpiritus ſancti virtute conſtet.

Quanq̃ autem baptiſmus aufert omnia inquinamenta noſtra ſecundum ſcripturas, hic tamen non omnem vitiatę naturę languorem aufert,vt ſupra etiã monuim⁹:relinquit enim concupiſcentiã ad malum inclinantem, reatu ipſo ſublato,concupiſcentia autẽ illa cõtra bonum in homine ſpiritum pugnare nõ deſinit, quoad in hac terra viuimus. Galat.5.

In quo tamen ipſa Baptiſmi virtus nobis non deeſt, vt quæ non ſolum peccati omnis reatum ſemel ademit,ſed contra concupiſcentiam adhuc hærentem in nobis & deſideriorũ bella cientem, firmat vires noſtras per ſpiritum ſanctum, quo ipſo ita munimur contra omnem concupiſcentiæ vim,vt reſiſtere ei ac præualere poſſimus, monente Apoſtolo: Spiritu ambulate & deſideria carnis non perficietis. Hactenus de Baptiſmo. Galat.5.

DE CONFIRMATIONE.

ATq; vt homini ad vitam corporis non ſolum neceſſe eſt,vt naſcatur ac ſit,ſed etiam vt creſcat atque enutriatur: Ita eidem ad ſalutem non ſolum neceſſe eſt regenerari, verum etiam in bono cõfirmari & per virtutem ſpiritus ſancti augeri, in quam rem

institutum est Sacramentum cum primis vtile, ipsa nimirum Confirmatio, quam celebrarunt Apostoli, cùm Samaritanis imponerent
Actor. 8. manus, cum vtili huius efficacia, vt in Actis Apostolorum scriptú est: & quod hic egerunt Apostoli, Christi nomine fecerunt, & in mysterio hoc inducendo non aliter quàm in alijs partibus muneris sui, vicem Christi gessisse videntur. Innititur autem mysterium hoc promissionib9 Christi de gratia spiritus sancti huiusq; missione, Ego mittam promissionem patris in vos. Item: Paracletus autem spiritus quem mittet pater in nomine meo, ille docebit vos omnia. Et quanquam Sacramentum Confirmationis initio impositione manuum tantum celebratum fuit, tamen Ecclesia sub ipsis statim Apostolorum temporibus ex eorundé traditione, vt externo signo internam spiritus sancti vnctionem designaret, ritui eius adhibuit Chrisma, cum impressione signi sanctæ crucis. Quem morem eumq; peruetustum Ecclesia catholica approbare non desinit, & credit quos famulos suos Deus regenerauit ex aqua & spiritu, eosdem hoc mysterio ita consignari, vt septiformem spiritum sanctum paracletum de cœlis, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis ac timoris capiant. Hæc cùm credat, & in huius Sacramenti administratione testificetur Ecclesia ca
tho

tholica, quæ eſt optima myſteriorum Dei interpres, Qui aliter ſentit, eandem negat veritatis columnam eſſe atq; firmamentum.

Vis igitur Sacraměti huius eſt, vt q eo confirmantur, accipiant ſpiritũ ſanctũ, quo in via ſalutis ꝑgredi, perſeuerare, & tentationibus atq; inſidijs carnis, mũdi, diaboli feliciter reſiſtere poſſint. Ac quia pleriq; eorũ qui baptizantur, infantes ſunt, nec fidei profeſſioně per ſe ædunt, conueniet vt pueri cùm iam adulti, & de religione Chriſti iam ſatis inſtructi, ad percipiendũ Confirmationis Sacramentum accedunt, fidem Chriſti & obedientiã Eccleſię ſuo etiam ore profiteantur, & ieiuni atq; confeſſi hoc ſacro myſterio initientur. Quemadmodũ per Concilium Aurelianenſe conſtitutum eſt. Non tamen cenſemus, propterea paruulos ab hoc Sacramento repellendos eſſe: Cùm Chriſtus ipſe non dubitarit eis manus imponere. Matt. 19. Mar. 10. non enim legem hic damus Eccleſiis.

Miniſter autem huius Sacramenti ſit Epiſcopus, id quod conſenſu totius Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolorum praxi comprobatur.

DE SACRAMENTO pœnitentiæ.

AC quoniã homines renati ſæpe in grauia crimina incidũt, inſtituit Chriſtus Sacramentum pœnitentiæ. Quod poſt baptiſma ſit nobis tanq̃ ſecũda tabula in naufragio. In hũc enim vſum tradidit clauem

ſoluendi,inquiens: Accipite ſpiritum ſanctũ
Ioan. 20. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Simulac enim peccatorem peccati ſui pœnitet verè, idemq; cum fiducia accedit ad thronum miſericordiæ, & credit hoc Sacramento accipi quod Chriſtus promiſit, fit ei ſicuti credit. Nec deeſt Sacramento huic quod promiſſum eſt. Vt enim Sacramenta alia, ſic & hoc vim habet ſanctificandi. Conſiſtit autem Sacramentũ hoc in abſolutione Sacerdotis, quæ inſtituto & verbo Chriſti nititur, qui in hanc rem poteſtatẽ ſuam delegat Sacerdotibus, inquiens: Sicut me miſit pater, & ego mitto vos. Accipite ſpiritũ ſanctũ, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sed quia Sacerdos non
Ioan. 20. ſolum habet poteſtatẽ abſoluendi, verumetiam ligandi, cùm vtraq; ſimul diuinitus tradatur: Videtur eatenus poteſtatem iudicandi accipere, quatenus hanc vtriuſq; clauis poteſtatem accipit, nec eam exercere poſſe, niſi intelligat, vtrum remittere an retinere debeat. Tale autem iudicium non poteſt aliunde q̃ ex confeſſione oris & peccatorum enumeratione hauriri. Nam cùm pleraq; hominum delicta ſine teſte committantur, occulta autem crimina animam etiam ſaucient atq; occidant, ac manifeſtis interdum grauiora & periculoſiora ſint: Sacerdos de his non ſanè iudicare poteſt, niſi qui cõmiſit, ea recenſeat & cõfiteatur, & hæc ſua quaſi vulnera ipſe aperiat.
Ita

Itaque quatenus ad ſananda hominum delicta, pœnitentiæ remedium monſtratum eſt, eatenus etiam confeſſio pœnitentis, cum enumeratione peccatorum nobis cõmendata videtur. Quare vt Sacramentum pœnitentiæ tanquàm ſalutare & neceſſarium probandũ eſt populo Chriſtiano, Ita etiam ipſa Confeſſio & peccatorum enumeratio: quæ vt non nimis laxanda, ita viciſſim non nimis aſtringenda.. Delicta enim quis intelligit? Itaque Pſal. 18.
enumeranda ſunt peccata, quæ non quidem anxiè nimis, ſed tamen diligenter cogitanti & ſeſe excutienti, in mentem veniunt. Quæ autem in mentem non veniunt, generali confeſſioni rectè includuntur, & nihilo minus remittuntur, quàm ſi ea confitendo enumeraſſet. Et quoniam hic ex abſolutione quæritur venia, non tantum oneris imponit Confeſſio, quantũ cõſolationis abſolutio credẽti affert.

Iam etſi illa ſatisfactio, quæ culpam & æternam pœnam expiat, ſoli Chriſto tribuenda ſit: Satisfactio tamen, quæ in pœnitentiæ fructibus conſiſtit, maximè autem in ieiunio, eleemoſyna & oratione, ſiue à nobis ipſis ſuſcepta, ſiue à Parochis & diſpenſatoribus Sacramentorum iniuncta: Si ex fide & charitate peragitur, peccatorum cauſas excindit, & peccati reliquijs medetur, ac temporalem pœnam vel tollit vel mitigat, & in exemplum denique adhibetur.

Sed vt ad absolutionē Sacerdotis in qua cōsi
ſtit vis Sacramēti pœnitentiæ redeamus: For
ma eius & verbū tale eſſe debet, vt qui confite
tur audire atq; intelligere poſſit, ſibi virtute,
merito ac beneficio Chriſti peccata remitti,
iuxta huius inſtitutum & verbum: Quorum
remiſeritis peccata, remittuntur eis. Nam hoc
Ioan.20. munus eſt Dei, cùm miniſterium ſit Sacerdo-
tis, Vt verbis Ambroſij vtamur.

DE SACRAMENTO Euchariſtiæ.

Qvi iam per Sacramentum pœnitentię reuixit in domino, ei item neceſſe eſt ali, & in bono ſpirituali creſcere. Inſtituit igitur Chriſtus Sacramentum Euchariſtiæ, ſub viſibili ſpecie panis & vini, quod verum Chriſti corpus & ſanguinem nobis præ-
Ioan.6. bet, & hoc ſpirituali cibo vnit nos ſibi, vt capi ti & membris corporis ſui, vt in ipſo ad omne bonū enutriamur, & cum ſanctis in eorumq; communione augeſcamus per charitatem.
1.Cor.10 Vnus enim panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui ex vno pane participamus, inquit Paulus. Forma autem huius Sacramenti, ſunt
Lucæ.22. verba illa ſolemnia, quæ Chriſtus ipſe dedit, Hoc eſt, corpus meum. Et iterum: Hic eſt enim calix ſanguinis mei, &c. Quod ſi igitur Chriſto & verbo eius tantū tribuimus, quantum debemus, dubium non eſt, quin ſimulac verba eadem accedunt ad panem & vinum, ex

his fiat verum corpus & verus ſanguis Chriſti, quatenus panis ac vini ſubſtantia in verum Chriſti corpus & ſanguinem transmutatur. quod qui negat, Chriſti omnipotentiam in dubium vocat, & eundem ipſum vanitatis inſimulat. quò magis cauendum eſt, ne indignè hoc Sacramētum ſumatur. Scriptum eſt enim: Nam qui edit aut bibit indignè, iudicium ſibi edit ac bibit, non dijudicans corpus domini. Propter hoc multi inter vos infirmi ſunt ac imbecilles, & dormiunt multi. Indignè autem ſumit Sacramentum illud, quicunque aut aliter de eo ſentit quàm oporteat, aut non verè reſipiſcit. Nam vt Auguſtinus inquit, Mutet vitam, qui vult accipere vitam. nam ſi non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam: & magis ex ipſa corrũpitur quàm ſanetur, magis occiditur quàm viuificetur. Itaq; probanda eſt conſuetudo Eccleſiæ, quę hominem nõ antè ad Sacramentũ Euchariſtiæ ducit, quàm pœnitentiæ Sacramentũ eũ repurgarit. Habet Euchariſtia vim roborandi in bono ſpirituali, cui rei non ſanè vllus eſt locus, niſi repurgatio peccatorum anteceſſerit: in quo ipſo imitari debemus bonos medicos, qui non ante præbent quæ roborare ac confirmare poſſunt, quàm malos humores è corporibus eiecerint: quod niſi fecerint, non proſunt ægroto, ſed magis obſunt. Iam quanto maior hic adhibenda eſt cautio, 1.Cor.11

ne indignè ſumas,tantò plus conſolationis ca piunt,qui Euchariſtiam dignè ac piè ſumunt, & cogitant ſe panè è cœlo deſcendente,qui vi tam dat mũdo veſci,& ex hoc verum atq; ſpi-
Ioan.6. rituale robur contra omnia mala percipere.

DE SACRA VNCTIONE.

SAcraméta quæ paulò ſuperius poſuimus magnam ſanè & multiplicem vtilitatem generi humano adferunt: dum aut ex ve tuſtate carnis languentes regenerát,aut regeneratos in gratia, quam acceperunt, confirmant : aut relapſos in gratiam, vnde deciderunt,reſtituũt: aut reſtitutos Chriſto firmius vniunt: in quem vſum,eumq; ſalutarem,non deeſt Sacramentis gratia Chriſti. Sed hæc potius per eadẽ velut inſtruméta hominibus tribuitur.Quanq̃ igitur horũ Sacramentorũ vtilitas latiſſime per omnẽ vitã patet, tamen ne homo cùm ægrotat deſideret ſubſidiũ peculiare,quod hoc eius periculoſiſſimo tempore vel corpori ipſius ſubuenire,vel animã cõtra igni ta ſathanæ tela munire poſſit,inſtituta eſt vnctio ſacra,ad quam oratio Eccleſiæ accedat.
Hanc vnctionẽ primi exercuerunt apoſtoli,q mandato Domini ad prædicandum Euangelium miſſi,dæmonia eijciebant, & oleo vnge-
Mar.6. bant multos infirmos,& ſanabãtur.Quę vtiq; ſacramentalis & myſtica,non medicinalis aut corporalis vnctio fuit : ad quam inter initia fidei,externa etiã corporis ſanitas,quaſi quòd dam

dam internæ ſanationis ſignum, conſequebatur: quemadmodũ in alijs Sacramẽtis ad commendationem & cõfirmationem rudis adhuc fidei interna virtus, externis & ſenſibilibus ſignis & miraculis demonſtrabatur: nunc verò adulta & corroborata fides, ſigna quæ infirmis dantur, non requirit. Huius myſticæ & ſalutaris vnctionis, à Domino fundatæ, ritum, quo admininiſtrari eam conueniat, apoſtolus Iacobus promulgauit: Infirmatur quis in vobis, inducat preſbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, &c. Quãti autẽ in Eccleſia eſſe debeat teſtimonium fratris illius Domini: teſtimonium dicimus, imò verò promulgatio, quam cum fecit legatus atq; apoſtol⁹ Chriſti, Chriſtus vt à ſe factam procul dubio ratam habuit. Qui igitur contemnit hoc Sacramẽtum, Chriſtum ipſum cõtemnere, & gratiam, quam hic per vnctionem ſacram nobis quodammodo porrigit, aſpernari videtur: atq; hoc fuerit tanto periculoſius, quanto grauius eſt diſcrimen, in quo ægrotus verſatur: non ſolum corporis, ſed etiã animæ, in quod poteſtates tenebrarum eum adducunt, quatenus in extremo vitę tempore oẽs quaſi machinas ad extinguẽdam ſalutem hominis admouent, eiuſq; animum terroribus incredibilibus frangere, & in deſperationem impellere conantur.

Iacobi. 5.

Vnctionem quidẽ hanc sacrã solis infirmis adhibendã Iacobus apostolus insinuat: quod reliqui etiam apostoli seruauerũt. nõ tamẽ in omnibus, sed periculosis modò infirmitatib⁹, & vbi vitę hui⁹ interit⁹ timetur exercẽda est.

DE SACRAMENTO Ordinis.

QVod autem ad ministeria Ecclesiæ attinet, quantò hæc maiora sunt, tantò magis dono Dei ac gratia egẽt. Quanquã enim Christiani oẽs sunt sacerdotes, quatenus spirituales hostias Deo offerre, & nomẽ itẽ eius in oĩ loco vtiliter inuocare possunt: non oẽs tamẽ sunt Ecclesiæ ministri: sed iam inde ab ortu Ecclesiæ segregati sunt quidã in ministeriũ Ecclesiæ, qui huius muneribus fungerentur: & eosdẽ ita distinxit Deus, ne ijdem oĩa possent, néve ex ꝓmiscua illa ratione perturbatio nasceretur, neq; eĩ Deus est cõfusionis autor. Institutũ est igitur sacramentũ Ordinis cum signo impositionis manuũ, & alijs huic sacramẽto cõgruentibus ritibus: quo q consecrarentur ad munera Ecclesiæ, acciperẽt gratiã, quã ad eandẽ ipsa munera administranda, apti, habiles, ac idonei efficerentur. Hinc illud Apostoli ad Timoth. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Hoc aũt Ordinis sacramentũ verbis Christi nititur; Sicut me misit pater, & ego mitto

vos

vos: Accipite ſpiritũ ſanctũ, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Item: Euntes in mundum vniuerſum prędicate Euangeliũ om̃i creaturæ. Itẽ: Euntes docete oẽs gentes, baptizantes eas. Itẽ: Hoc facite in meã cõmemorationẽ. Quib⁹ igitur in perpetua Eccleſię ſucceſſione manus imponunt Epiſcopi, vt ordinibus initientur, poteſtatẽ muneris ſui exequendi dãt. quæ ſane duplex eſt: Ordinis videlicet, & Iuriſdictionis. ſub alteram cadit miniſteriũ verbi diuini, adminiſtratio ſacramentorum, & Eccleſiarum ordinatio ad ædificationem: ſub alteram vero poteſtas excõmunicandi, & pœnitentes abſoluendi. Ordines aũt, quos catholica Eccleſia agnoſcit, ſunt hi ſeptem: Preſbyterorũ, Diaconorũ, Subdiaconorũ, Acoluthorum, Lectorum, Exorciſtarum, Oſtiariorum: quibus diſtincta munera, eaq; aut neceſſaria Eccleſijs, aut vtilia aſſignari debent, vt facilè appareat, eum de Eccleſia Chriſtiana malè mereri, quicunque Ordines hos vel ſpernit, vel tollit.

DE SACRAMEMTO Matrimonij.

INſtituerat Deus in paradiſo Matrimonium, quo mas & fœmina ad perpetuam indiuiduam vitæ ſocietatem coniungerentur, iuxta verbum Domini: Quamobrem homo relinquet patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna.

Quan-

Quanquam autē Matrimoniū,ad tam arctam hominum societatē institutum erat,tamē sub lege patrum, matrimonia à prima institutione duobus modis degenerauerunt: videlicet, vt & vnus plures vxores duceret, & ductam aliquādo,dato libello repudij,à se dimitteret: quorū prius ex dispēsatione Dei permissum, futuri temporis mysterio seruiebat,vt per plures vnius viri vxores insinuaretur Christū tā ex synagoga,q̃ ex gentiū multitudine Ecclesiā sibi collecturū,& sponsam sibi adiuncturū,& vt fœcūditate pluriū vxorū Christo saluatori ex eorū semine nascituro seruirent. Repudiū verò Moyses populo ob duritiā cordis permisit: leuius ducens, vxorē à viro odio habitam dimitti, q̃ occidi: vt cæde eius nouis nuptijs locum aperiret. Verū postq̃ plenitudo gratiæ venit,vt alia,quę vel in cœlo vel in terra essent restaurauit Christus,sic etiā matrimoniū restituit. Hinc illud Christi: Qui fecit hominē ab initio, masculū & fœminā fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. Quos igitur deus cōiunxit, homo nō separet. Et paulò pòst: Moyses ob duritiā cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras:ab initio aūt nō fuit sic. quamobrē quicunq; dimittit vxorē suā,nisi ob fornicationē. & aliam duxerit,mœchatur.Quod Apostolus in-

interpretatur,cùm ait:ijs q matrimonio iunčti sunt præcipio,non ego,sed Dominus,vxoré à viro nō discedere: quòd si discesserit,manere innuptā,aut viro suo recōciliari.

Hæ itaq; Christiani matrimonij singulares conditiones manifestis scripturæ testimonijs cōprobātur:vna,vt sit matrimoniū duorū tantum,hoc est, viri vnius cum vna muliere coniunctio: Duo,inquit,erunt in carne vna. Nec sic iunctis liceat, defraudato coniuge suo, alicui tertio corporis sui potestaté permittere, prohibente Apost.& dicente: Mulier potestatem corporis sui non habet,sed vir. Similiter & vir nō habet potestaté sui corporis,sed mulier. Altera conditio est,vt vinculum coniugij inter duos semel colligatū,nullo amplius diuortio, sed sola alterutrius morte dissoluatur. **Roma.7.** Nam quòd Christus ob fornicationé dimitti posse vxorem insinuat, hæc separatio thori & **Mat.19.** mensæ consuetudiné inter coniuges scindit, vinculum coniugij non soluit,ita vt adulteriū committat,sic vt alienam contrectans vxoré, quisquis sic dimissam duxerit.

Quoniā igitur Christus matrimoniū gratia sua melius fecit, & arctiori quasi vinculo constrinxit: vt quemadmodū Christus vnius Ecclesię vnus est sponsus,idq; indissolubili nexu sic vnius vxoris vnius sit maritus,idq; perpetua cōiunctione: & similiter atq; Christus cū Ecclesia sponsa sua perpetuò iungitur. Quare **Ephe.5.**

ma

matrimonium non ſolum cõiunctio eſt maris atq; fœminæ, ſed etiã Sacramentũ, ob gratiam Chriſti, quæ ei nunq̃ deeſt: vt cùm vir vxorem ſuã diligere poſſit, perinde quaſi Chriſtus Eccleſiam, ſic ille cum hac colat vitæ ſocietatem indiuiduam, vt vna ſit in perpetuum contentus: nec cum hac in vita diuortium faciat, exceptis cauſis, quæ iure diuino explicantur.

Ac quoniã Deus fouet matrimoniũ gratia ſua, idemq; approbat, quatenus cõiuges inter ſe matrimoniũ contrahunt, ſignum datur illuſtre, ad ſperandũ conſuetudinem ipſorum cùm bonam eſſe per ſe, tum Deo gratam. Et quanquam prolis procreãdæ cauſa matrimonium potiſſimum contrahi debet, tamen qui contrahit etiam fornicationis vitandæ cauſa, non peccat. Habeat enim vnuſquiſq; vxorem
1.Cor.7 ſuam propter fornicationem, inquit Paulus.

Vis igitur Sacramenti huius eſt, vt intelligant coniuges ſe non humana, ſed diuina authoritate coniunctos gratiam accepiſſe, qua ipſis legitimus congreſſus non imputetur ad culpam: qua item Chriſtianus vxorem gentilem cum eo manere volentẽ ſanctificet, &
1.Cor.7 ſanctos, hoc eſt, Deo dicatos filios procreet: qua deniq; perpetuam fidem coniugi ſeruet, vt ſint duo in carne vna: & qua mulier fidelis ſalua fiat in procreatione filiorum, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione
1.Tim.2 cum ſobrietate. Itaque matrimonium honora

rabile,in eoque thorus immaculatus esse potest. Quod cùm Manichæi,Taciani,& Encraticæ ignorarent, matrimonium reprehendere non dubitarunt: quam eorum sceleratam temeritatem,à doctrina dæmoniorum profectam,apostolus Paulus damnat. Heb.13. 1.Tim.4.

Ac quoniam vinculum matrimonij tale est omnino, tantamq; vim habet ad coniungendum,vt non sit vllum coniunctionis humanę vinculum,quod magis cóstringat. Quod cùm agnosceret Adam in paradiso, sic de muliere, quam Deus è costa corporis ipsius ædificauerat,loquutus est:Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea,ob hoc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.Quamobrē relinquet homo patrem & matrē,& adhęrebit vxori suæ,& erunt duo in carne vna. Itaq; cùm patria potestas huic inter coniuges coniunctioni summo iure cedat, audiendi non sunt, qui volunt hoc tempore,matrimonium vel sponsalia cótracta scindi, & irrita esse, si parentum consensus non accesserit. Nihil hic detrahimus obedientiæ, quam liberi parentibus debent: sed nolumus parentes in impediendis aut dirimendis matrimonijs potestate sua abuti. Quia tamen censemus honestatis esse,vt liberi, sine consilio & parentum consensu non contrahāt matrimonium,huius officij sui per Concionatores sedulò admonendi sunt. Genes.2

An verò parentib⁹ potestas pmitti debeat in hoc

hoc casu, liberorum inobedientiam, derogatione, aut saltem diminutione dotis, aut aliqua alia via puniendi, de hac re ordinariȩ potestati cura relinquenda videtur.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

VT religioné, sine qua nulla gens viuit, ius naturæ introduxit, sic etiam ceremonias, sine quibus religio coli nó potest nec solet. In ipsis verò ceremonijs externam oblationem, velut præcipuam, omnes omnium seculorum gentes obseruauerũt: quæ etsi (teste Cypriano) circuncisioné velut crudelem & naturæ inimicam horruerunt, non tamen similiter repudiarũt reliqua sacrificia: sed in multis legem naturæ sequentes, expiationum retinuerunt instruméta, & immolare victimas, & incendere adipes, & libaminibus fundere coram Deo vota & preces, cultu cum ipsa natura hominibus insito, & per omnium animos diuinitus vulgato perseuerauerunt. Sed & hoc commune, & omniũ animis affixũ omnes gentes tenuerunt, vt externæ oblationis cultum vni Deo deberi magno consensu existimarent. Nemo enim externa oblatione colendum vnq̃ censuit, nisi qué Deum esse aut sciuit, aut putauit, aut finxit, cuius cũltus antiquitatem duorum fratrum, Cain & Abel, sacrificia comprobant: quorum priorem, simul & munera eius auersatus reprobauit Deus: minoris verò oblationem placatus aspexit.

Hunc

Hunc verò ſacrificandi ritum, Deus (volens omnes homines ſaluos fieri) mentibus hominum hac de cauſa diuinitꝰ inſeuit. Cum enim propter vnius hominis peccatum, vniuerſum genus humanum iræ Dei, & iuſtę damnationi obnoxium teneretur, tantoq; grauior & periculoſior illis damnatio immineret, quãto magis peccata peccatis accumulando, iuſtam Dei iram contra ſe incitabant, Deus nolens perire quos condiderat, mediatorẽ & reconciliatorẽ humano generi deſtinauit, qui nos cum autore noſtro reconciliaret, & iuſtam Dei iram ſingularis ſacrificij oblatione placaret. Deus igitur magnæ dilectionis filium ſuum carne noſtra circundatũ, miſit in mundũ: qui peccata noſtra in ſe ſuſcipiẽs, in corpore ſuo ea pertulit in cruce, & ſemetipſum pro nobis hoſtiam appendens, per propriũ ſanguinẽ in Sancta ſemel ingreſſus, æternã redemptionẽ adinuenit.

Huius precioſiſſimæ hoſtiæ nidore delinitus pater, iram remiſit: & homines prius peccatis immerſos, impuros, & iniuſtos, & damnationi obnoxios, nunc filij ſui ſanguine ablutos abſoluit, iuſtificauit, ac ſibi reconciliauit.

¶Huius vnicæ oblationis virtus atq; efficacia, non illi modò tempori ſeruiens, quo Chriſtus in carne hoſtiam ſe appendit: ſed omnes omnium ſeculorum ætates complectens, omnium hominũ, qui ab origine mundi fuerunt, & in finem vſq; ſeculi naſcituri ſunt, delendis

peccatis sufficit. Vere enim Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. Et; Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et: Ipse est propiciatio pro peccatis nostris; & nõ pro nostris tantum, sed pro totius mũdi. Mundus autem non vnius temporis, sed omnium ætatum homines comprehẽdit. Hinc in Apocalypsi Christus agnus dicitur, ab origine mundi occisus: quoniam sanguis eius omniũ ætatum iam inde ab initio mundi delicta emundauit.

De hac oblatione, quæ ad totius generis humani reconciliationẽ vna sufficit, Paulus ait; Vnica oblatione consummauit in æternũ sanctificatos. Et quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Et: placuit instaurari omnia in Christo quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso. Et in Esaia: Torcular, inquit, calcaui solus. Et: Cuius liuore sanati sumus.

Vt vero huius tam efficacis oblationis, quæ omniũ hominũ salutem plenissime, sufficientissime & perfectissime meruit, omnes homines participes fierent, & eius fructũ in se transferrẽt, Deus ab initio mundi sub lege naturæ, diuina inspiratione in animis hominũ sacrificãdi ritum excitauit, & mox data lege diuersa sacrificia monstrauit: quorum omniũ hic vsus erat, non vt homines Deo reconciliarent, & sa

lutem ipſa mererentur:ſed vt per hęc externa ſacrificia venturi ſacrificij,in quo redemptionem omniū Deus promiſerat,memoria in animis hominum ſubinde excitaretur, fides confirmaretur, & fructus eius credentibus, & in virtute venturi huius ſacrificii ſperantibus applicaretur:& vt quoties iſta ſacrificia celebrarentur, homines tum aliorum beneficiorum Dei, quæ continua eius benignitate accipiebant,tum ſalutis ſuę per promiſſum reconciliatoré accipiendæ, gratis animis recordarētur.

Nullum itaq;,ſiue ſub naturę,ſiue ſub Moyſi lege,ſacrificiū per ſe Deo placebat : quippe qui ijs,quæ offerebantur, ſe non indigere ſæpe proteſtatus eſt. *Si eſuriero (inquit) non dicam tibi.meus eſt enim orbis terræ,& plenitudo eius.Nunquid manducabo carnes taurorū aut ſanguinem hircorum potabo?* Sed quatenus hæc viſibilia ſacrificia inuiſibilis & futuri ſacrificij ſacramenta erant, ſi quis ea in fide à Deo promiſſi reconciliatoris obtuliſſet,hoc agens his externis ſacrificijs,vt fidem in venturum in Chriſtum oſtenderet, & ſalutaris iſtius ſacrificij fructum,quem iam & fide conceperat, & firma ſpe expectabat, in ſe transferret,& Deo pro tantis beneficijs animi ſui gratitudinem declararet : vtiq; talia ſacrificia, & Deo grata, & offerenti ſalutaria erant, nulla quidé ſua propria, ſed futuri ſacrificij virtutę quam per fidem offerenti applicabant.

Et vt ratio sacrificiorum disertè intelligatur, vnicum est sacrificium meritorium, cuius virtus delendis hominnm peccatis efficax, homines à Deo alienatos, ac iræ eius ac damnationi obnoxios reconciliauit, & æternam salutem & redemptioné toti hominũ generi meruit. Illa videlicet Christi victima salutaris,
Heb. 10. qua pro delictis hominũ in cruce se hostiam appendés, in æternũ consummauit santificatos: cuius meritum non accipit augmentum, quia perfectũ est: nec diminuitur, aut exhauritur, quia æternũ est. Vnde & reliqua omnia sacrificia nihil huic sacrificio superaddunt, nihilq; ipsa per se merentur, sed vnicę huius oblationis fructũ credétibus applicant, & ad excitandam & retinendam in animis hominum huius vnicę oblationis memoriam & fidé confirmandam, & pro omnibus Dei beneficijs declarandam gratitudinem, seruiunt.

Sunt aũt huiusmodi applicatoria sacrificia quædam omnibus legibus communia, & promiscuè omnibus hominibus permissa: qualia sunt, sacrificium contribulati cordis, & humiliati spiritus, & ob colendã pietaté susceptæ carnis afflictiones: sacrificiũ labiorũ, precum, gratiarũ actionis & laudis, & si qua sunt similia. Quædã verò semper fuerunt vniuscuiusq; legis propria, & certis hominũ officijs alligata, à quorũ oblatione alij magnis comminationibus & pœnis arcebantur. 1. Regum. 13.

2. Paralipome. 26. Nec vlla lex, quemadmodũ nec vlla gentiũ religio sacrificijs caruit. Hæc enim tria colligata sunt, & seinuicẽ necessario consequuntur: Lex, sacerdotiũ, & sacrificium. Hebræ. 7.

Sic itaq; sub lege naturæ iusti homines & de Dei promissionibus edocti, in eum quẽ futurũ sciebant saluatorẽ credentes, sacrificia offerebant, quorum oblatione futuræ salutis fidem & spem, & pro ea gratitudinẽ suam declarabant, & eius, quod futurum expectabãt, salutaris sacrificij meritis adiuuari ambiebãt. Hunc morem cæteræ gentes occulta inspiratione animis eorum insita imitantes, nõ quidem verũ Deum, sed quem Deũ aut putabãt, aut fingebant, sacrificijs placare voluerunt.

Lex verò per Moysen data, ad legem naturę accedens, non vt eam tolleret, sed vt meliorẽ redderet, oblationes externas instituit, quæ & præfigurarẽt futurũ Christi sacrificiũ: & quoties eas celebrarẽt Iudæi, tũ aliorũ beneficiorum Dei gratis animis recordarentur, tum illius venturi sacrificij virtutẽ, in se credẽdo, & sperando, & orando transferrent.

Christus autẽ qui non venerat legẽ soluere quatenus vel naturalis vel moralis erat, sed eã potius adimplere, cùm nouã legem suam, de qua iam antè per Hieremiam promiserat, in mundum induceret, ne eam solam in hac parte contra præcedentium legum communem morem mancã aut imperfectiorẽ relinqueret, Hiere. 31.

peculiari sacrificio pariter & sacerdotio eam instruxit. Siquidem necesse fuit, iuxta Apostoli sententiam, succedente noua lege, etiam sacrificium huic legi peculiare consequi. Hebre. 7. Et sacerdotes velut huius sacrificij ministros assumi. Hebreor. 5.

In qua legis parte sanè bona, sancta & pia, idē Dominus noster Iesus Christus, ne ecclesię suæ deesset, in vltima cœna, cùm gratias egisset deo, sacramentū corporis & sanguinis sui instituit: duplicē eius vsum statim commendans, vt à fidelibus velut animæ salutare alimentum sumeretur. Accipite, inquit, & comedite, & vt in memoriam passionis suæ offerretur.
Mat. 26. Cuius oblationis ministeriū apostolis, velut nouæ legis sacerdotibus contradens, Hoc, inquit, facite, in mei commemorationem.
Lucæ. 22.

Quemadmodum igitur ante Christi aduentum Deus patribus certa quędam scrificia tradidit, quibus magni istius sacrificij, quod futurum ipsi expectabāt, memoriam in animis suis excitarent, fidem stabilirent, & fructum eius credendo & orando sibi applicarent, & per eorum oblationem beneficiorum Dei gratis animis recordarentur: sic Christus Ecclesię suæ mundam & salutarem corporis & sanguinis sui oblationem sub speciebus panis & vini commendauit, qua corporis eius in cruce pro nobis appensi, & sanguinis effusi, memoriam subinde in animis nostris renouaremus, & fru

fructum iſtius oblationis cruētæ, quā in æternum conſummauit ſanctificatos, in nos tranſferremus. Hoc eſt enim facere in memoriam eius, id eſt, gratis animis cõmemorare mortē Domini, & per memoriā & meritū paſſionis eius deprecari patrē vt nobis reconcilietur. Heb.10.

Hæc eſt mũda & ſalutaris oblatio illius vnici ſacrificij, quo omniū ſalus comparata eſt, rememoratiua, non ſolum ſignificans, ſed re ipſa in ſe comprehendens veritatem illarum rerum, quas diuerſorum oblationes olim præſignabant: eadem nimirum corporis & ſanguinis Chriſti hoſtia, quæ in cruce eſt oblata non alia. Idem agnus, non alius, & vnus vtrobiq; Chriſtus, ſed tunc cruento & paſſibili modo oblatus eſt: qua oblatione omnibus credentibus remiſſionem peccatorum & redemptionem ſufficienter impetrauit. Nunc verò eundem ſub myſterio, & modo incruento, & impaſſibili offerimus: non vt peccatorū in remiſſionem, & animarum noſtrarum ſalutem iam primum promereamur, ſed vt paſſionis dominicæ memoriam recolentes, Deo gratias agamus pro ſalute nobis in cruce impetrata, & ibi promeritam peccatorum remiſſionē & redemptionē, fide & deuotione nobis applicemus & appropriemus.

Hanc tam ſalutarem victimam in ſpiritu præuidit Malachias, cùm ait: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, Mala.1.

& munus non suscipiam de manu vestra: Ab ortu enim solis vsq; ad occasum, magnum est nomẽ meũ in gentibus,& in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Quod vaticinium de solis spiritualibus sacrificijs accipi non potest, quæ nullius legis propria, sed omnibus temporibus communia existunt,& cum sacrificijs veterũ semper commixta durauerunt. At ipsa verborum serie satis conuincitur prophetã loqui de Sacrificio, quod, sublatis veteribus sacrificijs in locũ eorum erat successurũ. Vnde recte hæc verba de sacratissimo Christi sacrificio accipiuntur: nõ illo quidem, quo se in cruce pro peccatis generis humani obtulit (illud eñ nec inter gentes, nec in omni loco, sed in Iudæa consummatum est) sed quod ex gentibus congregata Ecclesia per totum terrarum orbem offert ad recordationem mortis Domini, & ad virtutem eius in credentes transfundendum. Atq; hic loci illius intellectus luculentis patrum testimonijs roboratur. Ireneus lib. iiij. contra Hæreses cap. xxxij. Eum qui ex natura panis est, accepit ac gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est,& noui Testamenti, nouã docuit oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. De quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsigna

ſignauit: Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum nomẽ meum glorificatur inter gentes,& in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purũ. Aug. Nouerint, inquit, qui legunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham. Etſi iam ſunt participes eius, vident tale ſacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Vnde alius Propheta dicit, ad eum qui ſecundum carnem eſt Iſrael: Non eſt mihi voluntas in vobis &c. Ambroſius de hoc nouæ legis Sacrificio teſtatur: Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Chriſtus offertur, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſeipſum quaſi ſacerdos. Chryſoſtomus: Nõne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidẽ ſed recordationẽ facientes mortis eius,& vna eſt hæc hoſtia, nõ multæ. Quomodo eſt vna & non multæ? & quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorũ: Hoc autem ſacrificiũ exemplum eſt illius, idipſum ſemper offerimus, Nec nunc quidẽ alium agnum, craſtina aliũ, ſed ſemper idipſum &c. Athana. In æternum, inquit, Chriſti eſt ſacerdotiũ: quia quotidie offertur per miniſtros Dei oblatio, Chriſtum & pontificem habens & ſacrificium. Augu. cõtr. aduer. leg. lib. 1. ca. 20.

Hanc vero oblationẽ, quam Eccleſiæ in recordationẽ mortis ſuæ faciendã Chriſtus commendauit, prius ipſum in cœna exercuiſſe, & patri ſeipſum ſub ſpeciebus panis & vini obtuliſſe, magni teſtes comprobant: inter quos

Dauid, Christū appellās sacerdotē secundū ordinē Melchisedech, satis ostendit, Christū sacrificio panis & vini, figurā, quę in Melchisedech sacerdote præcesserat, adimplesse: De qua re Sanctus martyr Cyprianus lib. ij. epist. iij. Qui ordo vtiq; est de illo sacrificio veniēs, & inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panē & vinū obtulit, quòd Abrahā benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificiū Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panē & vinū, suū scilicet corpus & sanguinem? Et mox vt in Gen. Vt per Melchisedech sacerdotē benedictio circa Abrahā posset ritè celebrari, præcedit antè imago sacrificii, in pane & vino scilicet cōstituta: quā rem perficiēs & adimplens Dominus, panē & calicē mixtum vino obtulit: & qui est plenitudo, veritatem pręfiguratę imaginis adimpleuit. Arnob. Hic, inquit, de Christo loquens, qui per mysterium panis & vini sacerdos factus est in æternum, secundū ordinē Melchisedech, qui panē & vinū solus obtulit in sacerdotibus: dū Abrahā victor reuerteretur de prælio. Damasc. pane & vino suscepit Melchisedech Abraham ex cæde alienigenarū, qui erat sacerdos Dei altissimi. Illa mensa hanc mysticam præfigurauit mēsam, velut & sacerdos ille Christi veri sacerdotis præfiguratā pręse ferebat imaginē: Tu

es,

es inquit, ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Similia multa teſtimonia inueniũtur apud Hierony. ad Euagriũ. Auguſtin. de doctrina Chriſtiana. lib. iiii. ca. xxi. Ambro. de Sacrament. li. iiii. Chryſoſtomũ, Theophylactũ.

Secundum hæc ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum patrum teſtimonia, catholica Eccleſia duo ſacrificia Chriſti agnoſcit, eadem ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum rationem & ritum offerendi multum diuerſa. Vnum in cruce cruentum: alterum quo in cœna ſub panis & vini ſpecie corpus & ſanguinem ſuum ipſe Sacerdos iuxta ordinem Melchiſedech patri obtulit, perpetuum condens nouæ legis ſacrificium, quod Apoſtolis ſuis ac ſucceſſoribus ipſorum, vt ad finem vſque ſeculi in memoriam ipſius facerent, commendauit. Horum vt modus offerendi diuerſus, ſic & vſus diſcretus eſt, cruento ſuo ſacrificio Chriſtus totius mundi reconciliationem & propitiationem pro peccatis, & plenam omnium redemptionem impetrauit: Alterum verò Sacrificium ad recordationem cruenti ſacrificij inſtitutum & Eccleſiæ commendatũ eſt, quo Chriſtum impaſſibili & incruẽto modo ſiſtimus patri: non vt remiſſionem peccatorum, & redemptionem de nouo mereamur, ſed vt in cruce meritam, fide & deuotione nobis applicemus, Chriſti iuſſionem ſequentes, qua iuſſit, vt hoc in memoriam

ſui

ſui faceremus, id eſt, vt per memoriá & meritum paſſionis ſuæ patré pro reconciliatione noſtri & peccatorú remiſſione, & animarú noſtrarú ſalute, proq; corporú ac rerum noſtrarum incolumitate, deprecaremur.

Hactenus oſtenſum eſt, quibus rationibus & teſtimonijs ſacrificiú Altaris ſubnixú ſubſiſtat. Nunc de ritu eius pauca ſubiiciantur.

In celebratione ſacrificii altaris, núc laudes dei, nunc fidelis populi preces, nunc gratiarú actiones, nunc ſcripturarum lectiones ſubinde admiſcentur. Vnde & laudis, & gratiarum actionis, & precum ſacrificium rectè nuncupatur. Quo ritu Catholica Eccleſia, Chriſti exemplum refert: qui in cœnæ ſacrificio pro
Ioan. 17. incolumitate Eccleſiæ, quam in terris relictu
Matt. 26. rus erat, multas preces ad patrem fudit, & tan
1. Tim. 2. dem hymnis & gratiarum actione cœnam myſticam conſummauit. Sed & hanc Pauli tam ſeriam commonitionem, qua in primis fieri voluit obſecrationes, orationes, poſtulationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate, Eccleſia in celebratione ſacrificii Altaris, iuxta Auguſtini ſententiam plenè & examuſſatim obſeruat, dum obſecrationes facit, antequam illud quod eſt in domini menſa, incipiat benedici. Orationes verò, cùm benedicetur &

sanctificatur: postulationes autem ceu interpellationes cùm populus benedicitur, & misericordissimę potestati cõmendatur: quib⁹ peractis, & participato Sacraméto, gratiarũ actio cuncta cõcludit. Vide August. Epi. lix. ad Paulinũ, Vbi ritũ celebrãdi sacrificii Altaris, qualẽ hodiè obseruat Ecclesia, perspicuè agnosces.

Sed & apud alios omniũ ætatum viros Catholicos, hunc ritũ receptum & confirmatum videre licet, qui admixtas in celebratione huius sacrificij preces & gratiarum actiones, & ipsam hostiam solemni prece consecrari solitam, magno consensu meminerunt. De qua re Chrysost. in Matth. Homil. lxxxiij. de sacerdotio, lib. iij. Basilius magnus de spiritu sancto. cap. xxvij. Theophyl. in cap. xiiij. Mar. Gregorius Epist. lxiii. ad Iohannem Episcopũ Syracus. Ambrosius de Sacrament. lib. iiij. ca. v. Qui & hunc canonem quo nunc vtitur Ecclesia, penè secundum singula eius verba passim in libris à se æditis, recenset.

DE MEMORIA SANCTORVM in Altaris sacrificio fieri consueta, & de eorũ intercessione inibi expetita, & obiter de Sanctorũ inuocatione.

CVM itaq; in hoc Altaris sacrificio, immési istius beneficii memoriã recolam⁹ quo Christus semetipsum ꝓ totius corporis sui mystici, id est, pro omniũ credentiũ incolumitate et salute, Hostiam fecit, ibique se-

ſui faceremus,id eſt, vt per memoriā & meri-
tum paſſionis ſuæ patrē pro reconciliatione
noſtri & peccatorū remiſſione,& animarū no
ſtrarū ſalute,proq; corporū ac rerum noſtra-
rum incolumitate, deprecaremur.

Hactenus oſtenſum eſt,quibus rationibus
& teſtimonijs ſacrificiū Altaris ſubnixū ſubſi-
ſtat. Nunc de ritu eius pauca ſubiiciantur.

In celebratione ſacrificii altaris,nūc laudes
dei, nunc fidelis populi preces,nunc gratiarū
actiones, nunc ſcripturarum lectiones ſubin-
de admiſcentur. Vnde & laudis,& gratiarum
actionis, & precum ſacrificium rectè nuncu-
patur. Quo ritu Catholica Eccleſia, Chriſti
exemplum refert: qui in cœnæ ſacrificio pro
Ioan. 17. incolumitate Eccleſiæ, quam in terris relictu
Matt. 26. rus erat,multas preces ad patrem fudit,& tan
1. Tim. 2. dem hymnis & gratiarum actione cœnam my
ſticam conſummauit. Sed & hanc Pauli tam
ſeriam commonitionem, qua in primis fieri
voluit obſecrationes,orationes,poſtulationes
gratiarum actiones pro omnibus hominibus,
pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate
conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam
vitam agamus in omni pietate & caſtitate,Ec
cleſia in celebratione ſacrificii Altaris, iuxta
Auguſtini ſententiam plenè & examuſſatim
obſeruat,dum obſecrationes facit, antequam
illud quod eſt in domini menſa, incipiat be-
nedici. Orationes verò, cùm benedicetur &

ſan-

ſanctificatur: poſtulationes autem ceu interpellationes cùm populus benedicitur, & miſericordiſſimę poteſtati cõmendatur: quib⁹ peractis, & participato Sacramẽto, gratiarũ actio cuncta cõcludit. Vide Auguſt. Epi. lix. ad Paulinũ, Vbi ritũ celebrãdi ſacrificii Altaris, qualẽ hodiè obſeruat Eccleſia, perſpicuè agnoſces.

Sed & apud alios omniũ ætatum viros Catholicos, hunc ritũ receptum & confirmatum videre licet, qui admixtas in celebratione huius ſacrificij preces & gratiarum actiones, & ipſam hoſtiam ſolemni prece conſecrari ſolitam, magno conſenſu meminerunt. De qua re Chryſoſt. in Matth. Homil. lxxxiij. de ſacerdotio, lib. iij. Baſilius magnus de ſpiritu ſancto. cap. xxvij. Theophyl. in cap. xiiij. Mar. Gregorius Epiſt. lxiii. ad Iohannem Epiſcopũ Syracuſ. Ambroſius de Sacrament. lib. iiij. ca. v. Qui & hunc canonem quo nunc vtitur Eccleſia, penè ſecundum ſingula eius verba paſſim in libris à ſe æditis, recenſet.

DE MEMORIA SANCTORVM in Altaris ſacrificio fieri conſueta, & de eorũ interceſſione inibi expetita, & obiter de Sanctorũ inuocatione.

CVM itaq; in hoc Altaris ſacrificio, immẽſi iſtius beneficii memoriã recolam⁹ quo Chriſtus ſemetipſum ꝓ totius corporis ſui myſtici, id eſt, pro omniũ credentiũ incolumitate et ſalute, Hoſtiam fecit, ibique ſe-

ſecundum domini exemplum & Apoſtoli cõmonitionem, pro totius Eccleſiæ incolumitate preces ad deum fundendæ, & pro omnibus eius beneficiis gratiæ agendæ ſint, Eccleſia intra ſeſe omnia ſua membra colligens, eorum etiam memoriam facit, qui hac mortalitate exuti, apud dominũ viuunt, & imprimis grata veneratione, Deo dilectos Sanctos complectens, pro his gratias Deo agit, qui eos cùm natura imbecilles eſſent, gratiæ ſuæ munere ita roborauit, vt vitia carnis ſuperarent, & contra peccatum, diabolum & mortem, non ſua, ſed Dei virtute fortes, viriliter dimicando, coronam iuſtitiæ à iuſto iudice impetrarent. De huius gratiarum actionis pro ſanctis antiquitate & cõſuetudine per totam Eccleſiam diuulgata, vide apud Dionyſium Areopagit. Cyprianum lib.iii. Epiſt.vi. lib.iiii. Epiſt.v. Auguſt.de ciuit.libr.viii. cap.xxvii.libr.xxii. cap.x.contra Fauſtum, Man.lib.xx.cap.xxi.

¶Nec ſolum veneramur Sanctos & pro his gratias agimus, ſed eorum precibus & meritis in omnibus diuinæ protectionis auxilio muniri poſtulamus, recte ſentientes, eos velut eiuſdem communionis ciues, & corporis eiuſdem membra, etiamnum vno ſpiritu & vinculo charitatis nobiſcum colligatos, ſalutem noſtram appetere, & malis noſtris indolere: ideoque pro neceſſitatibus noſtris apud communem Deum patrem, per Ieſum Chri-

ſtum communem omnium mediatorem interpellare. Quod vt faciant, ipſum ius communionis, qua nobis iuncti ſunt, ſimul & præceptum eos adducit. Orate (inquit Iacobus) pro inuicem vt ſaluemini: & charitas qua erga nos afficiuntur, ſuadet & monet, & ea qua apud Deum nunc pro ſe ſecuri, & ab infirmitatibus & defectibus immunes viuunt, facultas, non prohibet, quódque eos in alia vita facere apertis ſcripturæ teſtimoniis cognouimus. ii. Mach. xv. Vbi Onias conſpicitur manus protendens & orans pro populo: & alius vir ætate & gloria mirabilis, de quo dicitur: Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael: Hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate Hieruſalem, Hieremias propheta. & Zach. i. Angelus pro ciuitatibus Iuda interpellat: Domine exercituum vſquequo non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es?

Hac fide ſicut eorum qui nobiſcum in carne viuunt, ita & ſanctorũ apud Deum viuentium preces pro nobis poſtulamus, & vt pro nobis orent, eos nominatim appellamus, nec dubitamus quin ei qui poteſt omnia, facile ſit efficere, ſiue per angelorum miniſteria, ſiue alia ſibi placita ratione & via, vt noſtras petitiones ſancti reſciſcant. Qui vtique hoc præſtat, vt angeli peccatoris conuerſionem in cœlo cognoſcentes, gaudio exultent.

Me

Merita vero ſanctorum non talia eſſe aſſerimus, qualia in Chriſto inuenimus, qui ſemetipſum pronobis impendés, & ſanguiné ſuum pro nobis fundens, plená cum Deo reconciliationem mundo promeruit. Sancti vero merita ſua, quibus & ipſi ſaluati ſunt, & nobis ſuffragantur, ex eodé omnis ſalutis & totius meriti fonte, Chriſti videlicet paſſione, hauſerút. Non enim ſi iuſtitiæ rigorem ſpectemus, cuiq́ ſanctorú operationes ſuæ quantumuis virtuoſę ad propriam ſaluté ſuffeciſſent, iuxta aliud: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. & illud Chriſti: Si feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, quia ſerui inutiles ſumus. Et illud Pauli: Nó ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurá gloriam quæ reuelabitur in vobis. Ex Dei autem miſericordia & liberalitate, & Chriſti gratia, non ſolum ipſis ad ſalutem ſanctorú merita conducunt, ſed etiam nobis ad protectioné & gratiæ diuinę impetrationé proſunt, Deo in eis miſericorditer compléte, quod veraciter promiſit, cùm ait: Ego ſum Deus fortis zelotes, viſitans iniquitates filiorum, in tertiam & quartá generationé, eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiá in millia, ijs qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Sic defuncti Abrahami merita filio Iſaac profecerunt. Gene. xxvj. Et Iacob in hac religióe nepotes ſuos erudiés, Nomen ſuum & patrum ſuorum ſuper ipſos in

Pſal. 142 — Luc. 17. — Rom. 8. — Exod. 20

inuocari edocuit. Genes. xlviij. Quod & Moyses plena fiducia fecit, Quiescat (inqt) ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum. Exod. xxxij. Sic propter gratiam qua apud Deum valuit Dauid, vir secundum cor Dei, tota eius posteritas indulgentiam Dei, in commodum suum persæpe sensit. iij. Reg. xij. iiij. Reg. xix. Esai. xxxvij. Ezech. xiiij.

DE MEMORIA DEfunctorum in Christo.

Dominus noster Iesus Christus secundum voluntatem patris, Hostiam redimédis hominibus salutarem, seipsum in cruce affigens, vtiq; omnes eos qui hanc victimam suam saluandis hominibus iam inde ab origine mundi destinatá, fide & voto præuenissent, vel insequentibus temporibus fide eá amplexuri essent, intra seipsum, velut membra sua collegerat, volens passionis suæ fructú ad oés pariter qui corporis eius membra vnq̃ effecti essent, peruenire: vnde Ecclesia cómunis huius sacrificij memoriam recolés, omnia sua membra pariter aduocare, nec quenquá eorum excludere debet, qui secundú domini liberalem voluntaté vtilitatis huius sacrificij capax existit, Ideoq; quemadmodú prius sanctorum, ita postea etiam reliquorum Christianorum memoriá circa sacrificiú altaris inducit, quos in vera Christi fide decessisse pié credit:

dit:de quibus tamen ſatis certum eſſe nequit, vtrum ſatis emundati & purgati hinc emigrauerint. Aliam tamen ſanctorũ,& aliam aliorũ in ſomno pacis quieſcentium memoriam ſeruat. Illorum quidem non vt oremus pro eis, ſed magis vt orent ipſi pro nobis, vt veſtigijs eorum inhæreamus: Horum vero,vt cõmuni Domino pro eis ſupplicemus,quatenus Deus omnibus in Chriſto quieſcentibus,locum refrigerij, lucis & pacis indulgere dignetur, per Chriſtum dominum noſtrum.

Augu.in Iohannẽ tract.84

Eos vero qui nos in ſigno fidei præceſſerũt, vt à commercio orationũ noſtrarũ non ſecludamus,ipſa cõmunionis,quam cum omnibus ſanctis cõfitemur,ratio,diſertè expoſcit. Quippe qui etiam corporibus ſoluti, ſpiritualibus tamẽ nexibus nobiſcum cohærent,& vno ſpiritu velut eiuſdẽ corporis membra nobis adglutinantur,& vinculo charitatis connexi,adhærent nobis,nec mors eos corporalis ex myſtici corporis Chriſti compage præſcindere aut ſeparare poteſt.

Cùm itaque talem orandi formam nobis Dominus inſinuauerit, vt nemo pro ſua tantum, ſed velut magnæ communionis ciuis, pro omnium vtilitate rogare debeat: & per Apoſtolum præcipiat, Nos pro inuicem orare vt ſaluemur,magnæ in conſortes ſuos crudelitatis, & contra Dominum deteſtandæ temeritatis fuerit, ſi quis à commercio oratio-

num

num nostrarum in Christo defunctos excluse rit: quod eum facere nusq̃ scriptura præcipit, & communionis spiritalis, quam cum sanctis omnes profitemur, ratio, disertè vetat.

Hanc autẽ consuetudinẽ per totam Christi Ecclesiam diuulgatã, qua circa altaris sacrificium memoria defunctorũ adhibetur, ex apostolica traditione promanasse, magnis & fide dignis testimonijs abundè doceri potest. Dionysius Areopagita lib. Eccles. Hierarc. cap. vij. De prece super defunctis facienda, ex diuinis ducibus, hoc est apostolis, traditio peruenit ad nos. Vbi & totum harum precum ordinem & rationem luculenter explicat: precatur (inquit) oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per humanam infirmitatem admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuat & regione viuorum, &c.

Chrysostomus ad populũ Antiochenũ, Homil. lxix. Non temerè (inq̃t) ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorũ agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum cõtingere lucrũ. Cùm enim constiterit populus extensis manibus, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Chrysost. ad popu. Homi. 69. in. 1. Cor. Hom. 41.

Damascenus: Apostoli, inquit, discipuli Saluatoris, qui totius mundi circulũ cepere prædicando verbum vitæ, quod suis oculis viderant, in tremendis vitalibusq; Sacramentis, In Serm. de his q in fide hinc migrant.

memoriam eorum qui fideliter obdormierũt, habendam edixerunt: quod adhuc firmiter atq; adeò ſine contradictione obſeruat Apoſtolica & Catholica Eccleſia Chriſti & Dei, à finibus vſq; ad fines terræ, ab eo tempore vſque in præſens, & in finem mundi vſq;.

In Enchi. cap. 110. in quæſt. 2. ad dulcit.

Auguſtinus: Neq; negandũ eſt defunctorũ animas pietate ſuorum viuentiũ releuari, cùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel Eleemoſynę in Eccleſia fiunt. ſed hæc eis proſunt, qui cùm viuerẽt, vt hæc eis prodeſſe poſſent, meruerunt, &c. Similia vide apud Epiphanium. lib. iij. contra hæreſ. Tertul. ad vxorem de coro. milit. Ambroſium in oratione pro Imperatore Theodoſio de exceſſu fratris. Item lib. ij. Epiſt. ad Fauſtum. Cyprianũ. lib. i. Epiſt. ix. Bernardũ in Canti. Sermo. lxvi.

Poſt hanc defunctorũ memoriã, vbi iã iterum Eccleſia cõmunem viuentiũ ſalutem clementi domino cõmendauit, reliquæ preces ad dignam ſumendæ ſacroſanctæ Euchariſtię præparationem referuntur: quæ pars miſſæ peculiaris eſt præſentibus, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſacramentaliter aut ſaltem ſpiritualiter ſumentibus: nec in cõmune admodum ſeruit, cùm nemo ſicut pro alio baptizari, ita nec Sacramẽtum ſumere vtiliter poſſit. Participato tandem Sacramento, & cæteris ritè peractis, gratiarum actio cuncta (vt ait Auguſtinus) concludit.

DE COMMVNIONE CVM sacrificio iungenda.

Atque expedierit, cùm verissimum illud & singulare sacrificium offertur, veterem Ecclesiæ morem reuocari, quo non solum sacrificans ipse, sed & diaconi & reliqui Ecclesiæ ministri, qui diebus solemnioribus velut testes tanti sacrificij, & necessariorum ministeriorum coadiutores adhibentur, vt perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participes se præberent, seria Canonum sanctione iubebantur. Sed & fideles omnes, pro recolenda mortis Domini & nostræ redemptionis memoria, ad hoc mediatoris nostri sacrificium confluentes, sedulis exhortationibus monendi & excitandi sunt, vt prius explorati, confessi, & absoluti, sacrosanctæ communionis gratiam sumant, & diuinissimæ Eucharistiæ participationem, vnà cum sacerdote sedulò & deuotè frequentent.

Augus. de spiritu & litera, cā. 11.

DE CEREMONIIS ET vsu Sacramentorum.

Ceremoniæ veteres, quæ sacramento Baptismatis adhibentur, retineantur omnes: Exorcismus videlicet, abrenunciatio, professio fidei, chrisma, & alia. Pertinēt enim ad efficaciam huius Sacramenti adumbrandam & significandam.

Itē in ceremonijs veterib⁹, quę ab Ecclésia

catholica adhibētur Missæ, nihil mutandū videtur. Sunt eñ oēs ad id, quod in Missa agitur, cū primis aptæ. ¶ Et quod ad vsum huius Sacri attinet, debēt in singulis ciuitatibus & in singulis Ecclesijs (etiā si in vna ciuitate aut loco plures sint) quæ proprios sacerdotes, & populi illuc cōuenientis frequentiā habēt singulis diebus duæ ad minimū Missę celebrari: altera matutina, cui interesse possint homines, qui labore manuū rē quærūt, vt cōuenientes vel cōmunicent de Eucharistia, vel se Deo piè cōmendent. Altera verò celebrior, quę canetur circa horā octauā diei ante meridiē: cui eodē modo adsint, qui vel cōmunicare de Eucharistia, vel se Deo cōmendare velint. In pagis aūt, singulis quibusq; Dominicis & Festis diebus singulę Missę ad minimū celebrentur.

Atq; vt populus ad vsum Missarū reuocetur cōmodè, Cócionatores, iuxta sententiā de hoc Sacro superius explicatā, populū hortari debēt, vt eidē libēter intersint: cui etiā præscribendę sunt certæ meditationes, eæq; ad singulas Missæ partes aptę: & ante prefationē presbyter aut diaconus, si huius copia sit, ostendat verū Missę vsum, eumq; populo ex prescripto, de quo etiā hic cōueniat, cōmendet pro ratione de Sacro hoc superius explicata.

Canon item in quo nihil mutetur, habeat etiam suam succinctam & dilucidam interpretationem, vt inde presbyteri & functionem

of-

officij ſui eò melius intelligere,& quod intel ligunt populo explicare poſſint.

Ceremonię reliquę Sacramentorum iuxta pręſcriptũ Agendarũ veterũ adhibeantur: in quas tamẽ ſi quid irrepſit, quod cauſam dare poſſit ſuperſtitioni,tollatur. Altaria,veſtes ſacerdotum, vaſa Eccleſiæ, vexilla, item cruces, candelæ,imagines, retineãtur in Eccleſia. Sed ita tamen vt ſint monimenta : nec cultus latriæ in hoc genus transferatur, nec ad imagines & ſtatuas ſuperſtitioſe concurſus fiat.

Horę item Canonicę,& illa pia Pſalmodia, quam nobis Apoſtolus ipſe commendauit,ex Eccleſijs minimè tollãtur:& vbi ſublatæ ſunt reſtituãtur,maximè verò deTempore&Dominica,& alijs vetuſtis & ſolemnioribus Feſtis.

Quæ autem de Sanctis adiecta ſunt, ad ea quæ in veteri de Sanctis communi poſita ſunt, reuocanda : & ſicubi modum excedunt, corrigenda videntur.

Vigiliæ item & exequiæ defunctorum , de more veteris Eccleſiæ celebrentur.eſſet enim immane, in Eccleſia nullam illorum memoriam retinere, quaſi animæ ipſorum vnà cum corporibus interierint.

Feſti item dies ab Eccleſia recepti retineantur,ſi non omnes tamen præcipui:

Dominicæ dies. Natalis domini.
Circuncìſio domini. Epiphania. (quẽtib⁹
Palmarum. Paſcha cũ duob⁹ dieb⁹ ſe

 Aſcen

Aſcenſio domini. Penthecoſte cum duobus diebus ſequentibus. Corporis Chriſti. Feſti item dies beatæ Mariæ virginis, & ſanctorum Apoſtolorum.
Sancti Ioannis Baptiſtæ. Mariæ Magdalenæ. Stephani. Laurentii. Martini. Michaelis.
Omnium Sanctorum. & apud ſingulas Eccleſias eorum Sanctorum, qui ibidem ſingulares patroni habentur, vt in eiſdem ſanctorum feſtis Deum in ſanctis honoremus, noſq; ad imitationem ipſorum excitemur, & deſideremus orationibus ipſorum adiuuari, & meritis aſſociari.

Dies item Rogationum ante Aſcenſionem domini, & Litania in die ſancti Marci, & per annum aliæ conſuetæ proceſſiones, pro veteri more obſeruentur. Similiter in hebdomada Sancta, & circa reliqua Eccleſiæ feſta, debitæ ſolennitates adhibeantur: & in vigilia Paſchę & Penthecoſtes aqua baptiſmalis, per omnes Eccleſias Parochiales ſolenni benedictione præparetur.

Ac cùm abſtinentia carnium, quæ non abominationis, ſed temperantiæ cauſa ſuſcipitur, per ſe bona & ad carnem caſtigandã apta ſit, ac etiam publica vtilitas poſtulet, vt certis temporibus à carnibus abſtineamus, cùm aliâs pecora ad aſſiduum carnium eſum ſufficere vix poſſint, mos & inſtitutum veteris Eccleſiæ diebus ieiuniorum, feria Sexta & Sab-

bato à carnibus abſtinendi, retineatur. Hanc enim abſtinentiam Eccleſia ex nulla ſuperſtitione ſuſcepit, quæ à cibis quibuſdam, certis temporibus abſtinet: non ob vllam ciborum immunditiam (ſciens omnia mũda eſſe mundis, & nihil inquinare hominem, quod per os ingreditur,) ſed ad edomandã carnem, vt anima à prauis cupiditatibus, & à malis motibus melius humilietur: eamq; abſtinentiam præcipuè diebus feriæ ſextæ & ſabbati indixit, vt homines ad cultum Deo debitum perſoluendum, ad auditionem verbi Dei, & ad Sacroſanctæ Euchariſtiæ perceptionem (quę olim frequentior diebus dominicis ſeruabatur) ac biduana abſtinentia præparati, magis idonei ac digniores accederent, & vt hac voluntaria caſtigatione quaſi cum Chriſto, cuius paſſionis memoria his diebus potiſſimũ à fidelibus recolitur, carnem ſuam crucifigerent. Conſueta etiam Eccleſiæ ieiunia obſeruentur: ſed ita tamen vt non aſtringantur quos neceſſitas excuſat, quales ſunt qui grauioribus laboribus exhauriuntur, & peregrinantes, item grauidæ mulieres, lactantes, pueri, ſenes, ægroti.

Nec improbetur benedictio earum rerum, quæ exorciſmis & orationibus ad vſum hominum præparantur, dummodo operationes quæ inde naſcuntur, non rebus ipſis, ſed diuinæ virtuti tribuantur: & caueatur ne eædem ad vllum incantationis aut ſuperſtitionis

nis genus transferantur.

Et quanq̃ cū Apostolo sentiendū est, cum q cœlebs est, curare quę sunt domini &c. eoq; magis optandū, multos inueniri Clericos, qui cùm cœlibes sint, verè etiā contineant. Tamē cùm multi qui ministerij Ecclesiastici functiones tenent, iam multis in locis duxerint vxores, quas à se dimittere nolint, super ea re Generalis Concilij senténtia, expectetur. cùm alioqui mutatio in ea re, vt nunc sunt tempora, sine graui rerū perturbatione nunc fieri non possit.

Illud tamen negandum non est, etsi coniugium per se honorabile est, iuxta scripturā, eū tamen qui non ducit vxorem, & verè continet, melius facere secundum scripturam.

Eadem est ratio vsus Eucharistiæ sub vtraque specie, cui multi etiā assueuerūt, & ab eo auelli, sine graui rerum motu, hoc tempore nō possunt. Et quia Conciliū Oecumenicū, cui omnes Imperij status se submiserunt, procul dubio piam & solicitā curam adhibebit, vt in hoc casu conscientijs multorum, & publicæ tranquillitati opportunè cōsulatur: qui vsum vtriusq; speciei ante hac receperūt, eumq; relinquere nolūt, sup ea quoq; re deliberationē & sententiā Oecumenici Concilij expectent.

Hi tamen qui vtriusq; speciei vsum amplectuntur, illam inueteratam sub vna specie cōmunicandi consuetudinē reprehendere non de-

debent: nec alteri alteros perturbét, donec super ea re Conciliũ Oecumenicũ decreuerit.

Et quanquam Sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie institutum est, non tamen sentiendum est, Christum in carne diuidi, contra quàm scriptura diuinitus inspirata tradit, sed sub singulis speciebus integrum contineri.

Ac quoniam in Sacramento Eucharistiæ est verum Christi corpus, & verus Christi sanguis, in hoc Sacraméto Christum meritò adorari debere.

Item Sacramentum Eucharistiæ, semel verbo Christi consecratum, etiamsi asseruetur diutius, tamen Sacramentum & corpus & sanguinem Christi remanere, donec sumatur.

Quæ verò ad disciplinam Cleri & populi pertinent, videntur cum primis necessaria esse ad tollenda ex Ecclesijs scandala, quæ magnam dant causam horum temporum perturbationi, id quod res ipsa loquitur. Itaque si quam Ecclesijs vtilem Reformationem Cæsarea Maiestas procurauerit, tantum abest, vt quisquam sanctæ religionis & publicæ tranquillitatis studiosus, repudiare eam velit, vt omnes etiam pro ea citius promouendá & procuranda, Cæsaream Maiestatem obnixè & humilimè precari debeant.

FINIS.

FORMVLA AD QVAM Catholici ad futurum vſque Concilium reformari, & abuſus, & ſcandala tolli debeant



T abuſus & ſcandala, propter quæ Deus iratus, ſeueriter adeò Eccleſiam ſuam caſtigat, tollantur, reformenturq; clerus & populus iuxta ſacros Canones, traditiones maiorum, & ſacræ ſcripturę normam (quantū eius per hanc tempeſtatē fieri poteſt) donec Conciliū generale diſſidijs,& abuſibus modū ponat. In primis neceſſariū eſt,vt redintegretur repurgeturq; ordo Eccleſiaſticus,quo cōfuſo,indiſcreto & incerto, tota Eccleſiæ facies confuſa eſt, & varijs iactatur modis.

¶De ordinatione & electione miniſtrorum Eccleſiæ.

Examinatio ordinandorum. PRiuſq̄ admoueatur aliqs ſacris ordinib⁹, diligēter inquirendū eſt de fide, de moribus,de ſcientia,& ætate ordines petētis.

1.De Fide. De fide quidē propterea, quòd qui rectam fidem nō tenet,ad fidei Sacramēta iure admitti nō poteſt.Debet itaq; diligēter ordinandus examinari de hæreſibus,hoc potiſſimū tempore iactatis:An in articulis hac tempeſtate controuerſis, hoc ſynceriter credat,profiteatur,& ſemp̄ retinere velit,quòd Rōmana, Catholica

&

& Apostolica tenet Ecclesia. Nam de sepultis hæresibus & nusquã emergentibus inquirere specialiter operæprecium non videtur: expedit tamen simul explorare affectum, quo ducatur ad gradus Ecclesiasticorum ordinum petendos, & an propositum eius pium, sanctum & firmum sit.

Mores autẽ constare & probari debent, fideli ac certo testimonio Parochi, Præceptorũ & proborum virorũ, apud quos maiorẽ vitæ partem ordinandus exegit. Cùm Beatus Apostolus requirat, vt habeat testimoniũ bonũ ab eis, etiã qui foris sunt, & sit sine crimine, irreprehensibilis, iustus, sanctus, sobrius, continẽs, pudicus, prudens, modestus, benignus, ornatus, non superbus, non litigiosus, non iracundus, aut percussor, nec vinolentus, aut turpis lucri cupidus &c. 2. De Moribus. 1. Tim. 3.

Scientia saltẽ explendis ministeriis ad quę ordinatur, sufficiens cõstare bebet, nõ titulis, quos mercatus sit quispiã in Gymnasiis, aut ab aliis dignitatũ & titulorum venditoribus; sed diligenti eius examinatione. In Concil. Neocesari. cap. 11.

Licet aũt Canones antiqui statuerint, vt ante trigesimum ætatis annũ, nemo in Episcopum vel Presbyterum ordinetur, ministrorũ tamen inopia, post tam latam huius ordinis stragem hodie postulat, vt qui alioqui dignus est, in anno vigesimo quinto, ab hoc ordine non repellatur. Rigorẽ Canonum de ætate temperat necessitas. Gelasi in epistola decre. ad Episcopos Lucanos, Brutios & Siculos.

In his omnib⁹ solerti curą aduigilare debẽt Epi- C. Tãt. D. dist. 18.

Episcopi: Nam ad illos præcipuè pertinet or-
1. Timo. 5. dinandorũ examinatio, dicente Apostolo: Manus nemini cito imposueris. aut si per valetudinem & causas, Deo iudice (cui sunt ordinationum suarum daturi rationẽ) dignas id nequeant, curent saltem per idonios Vicarios & viros pios, sacrarumq; literarũ, Canonũ & traditionum Ecclesiasticarũ peritos fieri: Ne spectacula tantũ inquisitionũ ædantur, aut testimonia subornentur non legitima, nec idonia, aut superficialis tantum & perfunctoria fiat examinatio, sed diligens & seria, non sine proclamatione præcedente ad plebem Parochiæ, vbi ordinandus habitat, si commodè fieri possit, nullusq; sit ab examine illo liber.

Ex Con. 4. Cartha. cap. 22.

Ordinatos indignos absq; examine Ecclesia abijcit. Vide can. 9. Cõcilij sexti Carthaginen.

Ad Episcopatum nemo assumi debet, nisi sit sacerdos, aut saltem promittat se velle gradus, quos nondum habet, omnes in proximis ordinationibus absq; fraude, dilatione, aut tergiuersatione suscipere.

Ad Prælaturas soli digni atque idonei designandi sunt & admittẽdi: qui idonei sint examinatio probabit, si tales inueniantur, vt eorũ comparatione, illi quibus præficiuntur grex merito dicantur.

Ad Ecclesias Parochiales nemo prouehatur, nisi sciat & velit populum docere, & verbum Dei pro captu suorum prædicare.

Episcopi & Archidiaconi designatos, siue per electionem, siue per collationẽ, non prius inuestiãt, nec ad Ecclesiæ munera subeũda ad

mit

mittant, quàm exploratum ipsis diligenti examine sit, eos esse idoneos, & vocationi suæ pro virilibus se satisfacturos polliceantur.

Nulla pro examinatione exigatur pecunia, cùm ad hæc tam necessaria officia habeant Episcopi, & ad quos examinatio pertinet, ampla satis stipendia.

In eis quoq; qui ad Ecclesiasticas dignitates, curas, vel beneficia per Coadiutorias aut resignationes contendunt, eadẽ cura quę in electione & collatione exigitur, est adhibenda, nec recipiendi aut admittẽdi sunt huiusmodi homines, nisi examinatione præscripta comprobẽtur idonei, quales si nõ fuerint, qualecunq; sit resignatũ illud beneficiũ vacabit, & adsciscẽdus erit alius in reiecti locum.

¶ De ordinum Ecclesiasticorum officijs.

CVM duplex sit potestas, vna Ecclesiastica, alia Temporalis, quæ lõgo distãt interuallo, Episcoporũ Germanię pars maxima, præter Ecclesiasticam etiam temporali præditi sunt. Est autem præposterum & vocatione eorum indignũ, res temporales spiritualibus præferre, & rebus secularibus sedulo intẽtos eos, principes tantum agere, curam vero Ecclesiasticam omnem reijcere in Vicarios, dicentibus Apostolis: Nõ est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Actor. 6.
Ita ergo vita eis instituẽda est, vt appareat eos Episcopos potius quàm Principes esse, & cœlum potius quàm mundum hunc cogitare.

Est

Est aũt propriũ Episcopi officiũ regere Ecclesiã Dei, quã sibi Christus acqsiuit sanguine
Actorũ.20. suo, ad quod ptinet pascere oues ei⁹ cibo verbi Dei, Sacramẽtis, & exẽplis. Cõfirmare baptizatos, Examinare & ordinare ecclesię ministros,
Johan.10. Synodos celebrare, Visitare suã Prouinciã, & lupos ab ea abarcere, quę, si fidelis & bonus Pastor est, p se potius q̃ per Vicarios, quãtumuis pios & doctos pro ædificatiõe Cleri & populi sui obibit, nisi legitima aliqua causa impediat.

Debet igitur omnium ouium suarũ habere curam, sed præcipuam cooperariorũ, per quos regit oues, & dispicere vt suum quisq; munus fideliter in Ecclesia exequatur. Etsi enim oues omnes nosse, supra naturæ vires sit, compastores tamen & in opere Dei coadiutores suos, vt cognoscat est opus, vt sciat quomodo præsint, quid doceant, quomodo traditiones & ritus Ecclesiasticos seruent, quomodo viuant, ædificent an corrumpant gregem.

Ex his enim pendet disciplina & salus populi. Sic poterit desides & torpentes arguere, inutiles remouere, & corruptores perniciosos & scandalosos etiam plectere.

Iohan.10. Pertinet quoq; ad Episcopum solicitè inuigilare, ne lupi gregẽ inuadant, quibus sese obij
Hebræ.13. cere pro grege fortiter & strenuè debet, eosq; abigere ac persequi, nec ferre, vt doctrinis nouis & peregrinis, aut per dulces sermones cor-
Roma.16. rumpentur, atq; à veritate abducantur oues, pro quibus Christo daturus est rationem.

Ar-

Archidiacones quos alij Chorepiſcopos, alij Archipreſbyteros, alij Decanos appellant rurales, quocunq; cẽſeantur nomine, in partem ſolicitudinis conſtituti ſunt & vocati, vt certę regiunculę Paſtoribus ſeu Parochis, ne in officio negligentes ſint, ſuperintendant. Horũ eſt Synodis Epiſcopalibus intereſſe, referre & exponere illic ſuę portiunculę ſtatũ, & vna cum patribus cõſulere ac decernere Synodalia decreta & ſẽtẽtias, placita quoq; Epiſcoporum publicare curæ ſuæ Parochis, eaq́; exequi, & præter Confirmationẽ & Ordinationẽ, & propria ſolius Epiſcopi munera, ea omnia præſtare in ſuo territorio, quæ in Diœceſi Epiſcopus (cuius ſunt oculi) ſolicitè inuigilantes, vt ſi quid aduerſus fidem pietatemq́; Chriſtianam emergat, Epiſcopo idipſum, ad quem cura prima pertinet, ſignificent. Ex epiſt. decret. Leon. ad Germa. & Galliæ Epiſcopos de Chorepiſcopis.

Parochi diſpenſatores ſint verbi Dei, & ſacramentorũ, qui vt fideles inueniantur, debẽt frequenter populũ de his quæ ad fidem & religionẽ noſtrã pertinẽt docere, eosq́; inſtruere, vt norint quid credere & quomodo cõuerſari ac viuere in ſua quiſq; vocatiõe debeãt. Adminiſtrare quoq; debent Sacramenta, & eorũ gratiam myſticam exponere. Arguere eos quorũ publica ſunt peccata publicè, occultè verò delinquẽtes in priuata confeſſione: & in oĩbus ſe nõ ſegnes aut cęcos ſpeculatores exhibere: Ne ſint velut canes muti non valentes latrare, ſed quaſi tuba annunciẽt populo peccata, & ad cõ- 1. Corin. 4. Eſaiæ 56. Eſaiæ 58.

 uer-

uersionẽ & pœnitentiá eos adducát. Incorrigibiles vero & obstinatos referre debẽt ad maiores, vel publica satisfactiõe curãdos, vel ab Ecclesia proscindẽdos. Debẽt quoq; Parochi, paruulos, quæ est pulchra Ecclesiæ portio, & apta disciplinæ pietatis, nõ negligere: Sed eos ac rudes quosq; suę Parochię, certis temporibus instruere, & cathetizare: vt discant Symbolum, Pręcationẽ dominicam, Salutationẽ angelicá, & decalogi præcepta, aut certum habere Sacellanum vel Pędagogũ, per quos officia ista minora præstent. Vt vero totam curam in mercenarios reijciant, Canones non permittunt.

¶ De officio Decani & Canonicorum.

IN Collegijs vbi diuersi sunt ministrantiũ gradus & ordines, Decanorũ est, exemplo suo præcedere, verbo monere & prouocare Collegij sui Clericos & familiá, vt suę quisq; functioni gnauiter incumbat, & eo ad quẽ destinatus est loco ministret in diuinis & collegij rebus. Neq; enim vt torpentes vacent, sed vt muneri suo satisfaciant, & vitã ducant appellatione sua digná, constat ordinari. Debet itaq; Decanus cõtinere Clericos in decenti ac ordinata officij diuini persolutione, in vitę & morum honestate, in religioso habitu, in disciplina, in lectiõe & studio Sacræ scripturæ, quo Psalmodiæ, Preces, Officia diuina, & Ceremoniæ, statis horis ad laudẽ Dei & populi ędificationem, secundũ instituta Patrum, digna maiestate persoluãtur. Inobedientes vero & ebriosos,

osos, luxui indulgentes, aleatores, percussores, scortatores, & officiũ negligentes, publice arguere, seueriter corripere, sacris abarcere, multare etiam prouentu & distributionibus pro excessuum grauitate, iuxta potestatem qua de iure & consuetudine Ecclesiarũ funguntur.

Scholasticorum est docere indoctos, eosq; in his quę ad pietatem & cultum Dei pertinent erudire, aut curam hanc per alios procurare, pręsertim vero iuuentutẽ regere, eisq; idoneos ac probos præficere Pædagogos. Sint Scholastici viri graues, qui iuuentutẽ Ecclesiæ ministerijs destinatã in potestate habeant, & curent vt sub eorum disciplina, doctrina, pietate & morum honestate imbuãtur, & caueant ne emancipent, aut ad Capitula tales pręsentent quos propria vicia reijciunt. Sic Cantorũ est modũ dare eis quę in Choro canũtur, ac intonare: Sic Thesaurii, sic Succentores, sic Vicarii & reliqui ministri omnes, debent suo quisq; loco, quod eis ex nomine vel officio, vel præsidentium mandato incumbit, diligenter obire quò decẽter ac ordinate omnia fiãt inter eos. 1. Cor. 14.

Canonici oẽs debent in his quæ ad cultũ diuinũ, obseruationẽ Canonũ, & mores bonos pertinẽt, Decano suo humiliter obedire. Diuinis oĩbus interesse, modestia, grauitate, pietate eleemosynis, aliisq; bonis exẽplis populũ ędificare. Nõ deambulare in templo diuinorũ tẽpore, nec confabulari, oculos habere pudicos, incessum minime fastuosum, Ecclesiasticum offi-

Eũ qui ad sacrificium quotidianũ nõ venit ad Ecclesiã, statuit Cõc. 1. Toletanũ nõ habendũ pro Clerico, Can. 5

officiũ, cuius gratia beneficiũ accipiũt, vltro, prompte & reuerenter implere,& persoluere: Vt dum ore cantãt,cantẽt & mente: Et ita ne videãtur tanq̃ cõducti mercenarij trahi, & pecuniæ potius quàm Deo seruire, & magnarũ distributionũ tempora anxiè, minorum negligenter obseruare,ac si stipendiũ præcedere officium debeat,& non potius sequi.

Quò verò doctis & claris viris Collegia ornentur & vigeant,Decanus & Collegium studiosos aliquos, qui spé boná de se præbẽt,debent mittere ad Academias & Vniuersitates celebres & Catholicas,ac studijs eorũ dare sufficiens tempus,ac interim eos habere pro pręsentib⁹ in Collegio,aut sanè quantũ pro victu & libris eis sufficiat,suppeditare. Qua in re si negligentes fuerint, poterũt Episcopi authoritate ad hoc cõpelli. Curent tamẽ Ecclesiarũ Prælati de ijs qui studiorũ causa absunt diligenter cognoscere. Etsi cõpererint eos negligentes aut peruersis morib⁹ deditos,sumptus antea dare cõsuetos eis subtrahant, & in alios melioris spei iuuenes eosdem transferant.

¶ De horis Canonicis & Psalmodijs.

IN cultu diuino post missæ sacrificium in Ecclesia primas tenent preces Canonicæ in horas septem distributæ: Ad quarum obseruantiam,qui maioribus ordinum gradibus sunt iniciati, seu de beneficiis gaudent Ecclesiæ, præcipuè obligantur,quò preces, laudes, & gratiarum actiones Deo pro Eccle-

sia,

ſia,cuius ſunt miniſtri,cum grauitate & decen tia modulentur atq; perſoluāt, & in lege eius nocte dieq; verſentur. Ideo eī de altarē edūt & participant,quia altari ſeruiunt.Præpoſte- 1.Cor.9 rum eſt aūt & tam naturæ quàm dignitati ac inſtitutioni cultus illius diuini contrarium, velle curam hanc ad poſtremos tantum ordi- nes aut conductitios ſuccentores reiicere.

Forma autem cantionum & precū illarum quondā ab Eccleſiæ antiquæ patribus, & po- ſtremò à beato Gregorio,aliiſq; Eccleſię recto ribus purior tradita,ordineq; præſcripta eſt. Verùm ad hanc temporū vitio multa inepta, apocrypha, parumq; ad ſyncerū cultū pertinē tia nō negamus irrepſiſſe. Quod ipſum & brē uiarijs (quorū vſus permiſſus eſt propter eos, qui iuſtis impediti negotijs choro nequeunt intereſſe (vſu venit,quapropter operepræciū erit,vt à viris doctis & pijs (quos Epiſcopi in- terim in ſuā quiſq; Diœceſi,ad hoc darē debe- ant) emendētur & reducātur ad puriorē & an tiquiorē ritū, nec tamē modus quē nūc Eccle. ſiæ in precibus Canonicis ſeruāt mutetur.Sed in locum eorū quę emendatione indiguerint, meliora & puriora reponātur,quò ſancta, au- tētica,& officio diuino digna ſint,omnia quæ horis illis recitantur. Epiſcopis verò cura hæc relinquēda videtur, vt de hac re diligenter cō gitent, ſi quid fortè de Sanctorū hiſtorijs in eum vſum publicari poſſit, quò Eccleſiæ Ger maniç interim recte in lectionib' matutinali-

bus vterētur, donec plenius ea de re per Cōcilium generale statuatur.

Expediret ad hæc frequētes earundē precū & Psalmorū in vna die repetitiones, memorias itē quæ suffragia vocantur, quibus ad fastidiū vsq; plerisq; in locis sacerdotes grauantur, tollere, quò prolixitas neminem ab illis quæ secundum feriarū & temporis cursum dicenda erant deterreant, & ad ea impellant, quæ de sanctis breuiore quidem compendio, at fructu nonnunquam minori dicuntur. Horæ tamen Canonicæ integræ permaneant, sublatis tantum accessionibus quibusdam quæ minus necessariȩ videntur, idq; authoritate ordinaria Episcoporum. Ita tamen vt voluntates fundatorum firmæ permaneant.

¶ De Monasterijs.

EO maximè dolendum est, monasteria multa in Germanijs excisa & euersa, quȩdā etiā sponte deuiasse ab instituto, & vix pauca restare vt olim integra, quòd monasteria apud Patres nostros officinȩ erāt cultus diuini, & pauperū quædā cellaria, in quibus vnius voti & professionis homines certis horis, die noctuq; Deū Psalmodijs & laudibus colebant, horas intercalares orationi, lectioni scripturarū Sacrarū, meditationibus rerū cœlestiū, & alijs studiis piis & honestis dabant, ieiuniis se castigabāt. Et quod supererat, erogabāt in pauperes. Quibus sanè viis ad euangēlicā perfectionē cōtenditur. Hinc non modò

le-

leges, Canones, & ipsi⁹ naturę iura, verumetiã publica tam necessitas quàm sanctitas monastici instituti efflagitant, vt reformentur, & quoad fieri potest reparentur & conseruẽtur.

Igitur Monasteria cuiuscunq; sint ordinis, quæ ab institutis suis degenerarunt, debẽt secundũ regulas quas professi sunt, absq; omni personarũ respectu à Visitatoribus suis reformari, & monachi in obediẽtia & religionẽ sui ordinis cõtineri. Repugnãtes vero & reformationis impatientes, sine exceptione ad eã subeundam cogi. Quòd si Visitatores ad hoc non sufficiant, debent aut Ordinarii, aut Magistratus, vel Principis opem implorare.

Ad hec debent Monasteria opulenta restaurare apud se intermissa studia, præsertim sacrarũ literarũ, vt habeant monachi quotidie lectionẽ aliquã sacrę scripturæ illustratricẽ, quà deuotionẽ suam alant, seq; ad pietatẽ continuam exerceant: Et se ad prædicationẽ verbi diuini aptos efficiãt. Vbi verò pauci sunt monachi, ideq; inopia laborãtes, debẽt nihilominus vnũ vel duos mittere ad aliud suę Prouinciæ Monasteriũ, vbi scholæ restitutæ sunt, qui in literis sacris simul & religionis obseruantia illic instituantur & proficiant.

Non exerceantur Monachi rebus prophanis, sed in locis vbi se Deo deuouerũt permaneãt, nisi fortè ad concionandũ vel sacra peragenda, aut ad aliud Monasteriũ à suis Prælatis mittantur, aut ad curam animarũ à locorum or-

ordinarijs euocentur, de consensu prælatorum suorum, sub quorum obedientia nihilominus manere debent, qui possint eos corrigere & reuocare. Sic tamen vt Prælati ordinum Episcopis in hac necessitate non desint. Tempore verò quod eis à diuinis & lectionibus reliquũ est, semper pij & honesti aliquid agant, vt eos semper inueniat diabolus occupatos.

Non debent itẽ Monachi quamuis opulenti & regalibus dotati munificentijs ociosos & vanos facere sumptus, nec familiam superfluã nec equos ad fastũ & pompam potius q̃ ad necessitatẽ Principum more nutrire, magisq; secularẽ q̃ religiosam ducere vitã. Sed in humilitate viuere frugaliter, & quæ vltrà necessitatẽ supersunt, in pauperes, & educationẽ studiosorum, qui possunt Ecclesiæ Christi olim vsui esse, vtiliter expendere, idq; cum authoritate Ordinariorum loci, si illis sunt subdita monasteria, & habeant ius visitandi eadem: Sin autem, fiat hoc per Prælatos monasteriorum.

At vbi per hanc tempestatẽ vel excisæ sunt Monasteria vel exhausta Monachis & deserta, debẽt Visitatores initio duos aut tres benè institutos, ac probę vitę Monachos illò mittere, qui monasticen rursus introducant, & quantum fieri poterit omnia restaurent.

Monialibus continentiam professis nequaq̃ monasteriorũ suorum septa egredi licebit, sed in eis latere debẽt, ac soli Deo pudicitię amatori, cui se consecrarũt, quenq; repudiatis huius

se

ſeculi amatoribus præoptarunt,ſe conſeruare illibatas, nec item patere debet eis virorũ conſpectus, aut viris permitti vt monaſteriũ ingrediátur,niſi ineuitabilis neceſſitas requirat.

Cùm non detur autem eis ſuaſinet res foris procurare,Oeconomũ ſibi deligere poterunt, fidum,frugalẽ,& honeſtum,qui debeat eis & Viſitatori quater in anno,& quoties poſcitur, reddere negociorum ſuorum rationẽ. Quòd ſi inutilẽ eum,aut grauẽ, vel infidum experiantur,poterunt eo amoto,alium ſurrogare.

Quæ verò continentiæ ſtudium ſectantur, abſque voti profeſſione,& vitam in Collegijs ducunt religioſam,quales vocantur Canoniſſæ,etiamſi non habeant (quam tamen decentiſſimum eſſet habere) menſam communem, ſed ſuam quæq; peculiarem,debent tamen habere commune dormitorium,ne pudicitię inſidiatori Sathanæ detur,occaſio ad incontinẽtiam tentandam. Debent quoq; à nimis exquiſito & procaci habitu abſtinere, nec ſecularitet comptis incedere veſtibus excultę,ſed in habitu modeſto,mundo & caſto,vt ſint earum Monaſteria ſcholæ pudicitiæ, & virtutũ, in quibus filiæ nobilium diſcant non laſciuire, non ſuperbire, ſed Deum timere, orare, & pijs aſſueſcãt exercitijs ac moribus bonis: vbi voluerint nupturæ in Domino. Talia autem Collegia ſicubi in his virgines ob liberiorẽ vitam,famam ſuam in periculum adducant,per ſuperiores & Epiſcopos reformentur.

1.Timo.2.
1.Petri.3.

De

SCholæ seminaria sunt nõ Prælatorũ tantũ & ministrorũ Ecclesiæ, verũ etiã Magistratuũ, & eorũ, qui Consilijs suis respublicas gubernant, quæ si negligantur aut deprauentur, necesse erit & Ecclesias & respublicas inde periclitari, propterea de earum instauratione non postrema cura habenda est.

In primis igitur vbi extãt fundatæ, authoritateq́; ordinaria probatæ Vniuersitates seu Academiæ, debent destinata Præceptorib. & studiosis beneficia & stipendia, Priuilegia itẽ & immunitates exemptiones à vectigalibus, exactionibus, collationibus & oneribus publicis, tam discipulis quàm Præceptoribus ante omnia tuta conseruari, nec ab vllo hominum quantauis potestate sit prędıtus, infirmari, infringi, aut aliò conuerti quàm destinata sunt. Quòd si Prouisores beneficia destinata in alios cõtulerint, irrita debet haberi & esse collatio, & qui damnum Vniuersitati intulerint, ad satisfactionem compelli.

Curandum est in singulis Academijs, vt nõ nisi probati authores in artibus & disciplinis auditoribus prælegantur, atq; vt Doctores & Magistri qui doceant iuuentutem, probi sint, Catholici, & de Religione Christiana benè sentientes.

Ad hæc qui in numero studentiũ volũt haberi, & priuilegijs Vniuersitatũ frui, ac gaudere, nõ debẽt priuilegijs & libertate sua abuti,

ſed ſub obediētia & diſciplina viuere Rectoris, qui eos delinquētes & ſtatuta prætergredientes, præſertim rixantes, ſeueriter corripere, & pro modo delicti plectere debeat.

Nulla re magis Eccleſię publicæq; vtilitati conſuleretur, q̃ ſi ſummus Pontifex & Collatores Ordinarij, ſecundū Concilij Baſilienſis placita, Academijs purioribus & incorruptis poteſtatē facerent, ſignificandi eis ſubinde viros literatos, ad regendum Eccleſias idoneos, quos ipſi quibuſcunq; alijs minus idoneis in collatione beneficiorū, & pręſertim Parochialiū Eccleſiarū præferrēt, modò tamē perſonaliter illi non detrectarent reſidere.

Vbi fundatæ nō ſunt, debēt ſingula Collegia, ſecundū decreta Concilij Lateranenſis, vt parua fuerint vel magna, ita ſcholas paruas vel magnas apud Collegia erigere, quibꝰ præficiant Magiſtros & Pædagogos incorruptæ vitæ, à quibus tā pietatis Chriſtianę prima principia, quàm rudimenta literarū, incontaminata adhuc & quorūlibet ſtudiorū capax iuuentus hauriat, Atq; vbi multus eſt adoleſcentū numerus, in claſſes diuidi poterunt: debet autem eis prælegi hoc tantū, quod innocētiæ illius ætatis cōueniat. Væ enim ei qui ſcandalizauerit vnū puſillorū qui in me credunt, ait Chriſtus. Idcirco ſedulò curandū, ne prælegantur eis libri obſcœni, ſuſpecti, aut cōtagioſi, eorū qui perfidiæ ſuæ virus, religioniſq; & pietatis odiū, tenerę iuuentuti ſuis ſcriptis, quę per Matt. 18.

hanc

hanc tempestatem edidere, instillant.

Sed vbi Collegia non sunt, debét in singulis ciuitatibus esse scholæ, quarũ Magistri boni, honesti, & docti sint.

Præter Pædagogia verò habeatur in Collegiis Theologus, qui certis horis interpretetur Biblia, ac de re Theologica doceat iũniores Canonicos, Vicarios, & alia Collegii membra, vbi quisq; ad lectioné suæ professioni & instituto cõgruenté, tenebitur cõparere. Huic verò quo modo & vndè prouidendũ sit de victu, in Cõcilio Lateranensi constitutũ est, ita nimirũ, vt vnius Præbendæ prouetus ei, donec in docendo perstiterit, assignẽtur, si sufficiãt: sin minus, vt aliunde suppleatur, & tantũ huic, quantũ satis sit, suppeditetur.

¶ De hospitalibus pauperum, infirmorum & peregrinorum.

Sanctorum Patrum cõstitutionibus olim sancitum fuit, vt bonorum Ecclesiasticorum pars quarta cederet pauperibus. Hinc apud Collegia & Monasteria antiqua, hospitalia extructa sunt, quę nunc passim, aut in vsus alios sunt conuersa, aut iacent neglecta, non sine graui impietatis piaculo. Verisimile est, cùm patres pauperum haberentur, & essent ecclesiastici, fideliterq; bona cõmissa dispensarent, Imperatores, Reges, Principes & locupletes homines permotos, vt tam amplis prædiis Episcopos, Collegia & Monasteria ditarunt. Debent igitur Episcopi, Collegia, &

Mo-

Monasteria, rursus ædes illas, sicubi collapsæ sunt, instaurare: vbi verò extãt, cõseruare, redditus quoq; ad eas destinatos, ac olim separatos, de quibus cõstat, in nullũ vsum aliũ conuertere: qui si forsan cũ cæteris redditibus & bonis alicubi confusi sint & hodie ignorẽtur, debet nihilominus ædibus illis de omnib⁹ ad infirmorũ curã pertinentibus ex ærario cõmuni Monasterij vel Collegii sufficiẽter prouideri, idq; pro dispositione Episcopi, aut Ordinarij ecclesiastici illius loci.

Sic etiam reliqui ordines qui hospitalia habent, eadem studeant conseruare.

In eiusmodi hospitalia recipiendi sunt Viduæ & Orphani, & qui verè sunt pauperes, & ad victum quærendum sibi non sufficiunt, & potissimum eius loci, vbi hospitalia illa sunt constituta. Peregrinis verò pro refectione, nõ inhabitatione, aut in pauperum illorum fraudem, patere debent.

Cæterũ sicubi respub. ciuitatũ, municipiorũ aut Parochiarũ peculiaria suis ciuib⁹ aut etiã peregrinis hospitalia cõstruxerunt, quorũ sibi retinuerũt prouisionẽ ac dispensatonẽ, curandum est, vt administratores dent prouisoribus à cõmunitate delectis, quater in anno rationẽ ne & ista casu simili, quo illa, pereant, & pauperum res per fraudẽ distrahantur. Superiorũ verò omnium inspectio ad visitationẽ pertinet Episcopalem aut Prælatorum, quibus de consuetudine eius loci cura hæc incumbit.

¶ De

❧ De diſpenſatione verbi Dei & officio Eccleſiaſtæ.

CONcionandi officium nemo aſſumere ſibi debet, niſi vocatus, & ab ordinaria poteſtate Eccleſiaſtica admiſſus, dicēte
Roma. 10. Apoſtolo: Quomodo prædicabūt niſi mittantur. Pertinet autem officium illud ad Epiſcopos & Paſtores, quibus animarū cura incumbit; his tanq̄ ſubſidiarii cooperatores quatuor mendicantium ordines ad prædicandum verbum Dei adiūcti ſunt, permiſſum quoq; ipſis eſt, accire ad hoc Vicarios Sacerdotes, ſeu Sacellanos, quorum interdum opera vtantur: at non temerè debent ignotos quoſq; aut vagos Sacerdotes & monachos, abſq; Prelatorū ſuorum teſtimoniis, ſeu formatis, vt vocāt Canones, admittere, multò minus ſuſpectos de fide aut flagitioſos Sacerdotes, aut Monachos fugitiuos, per quos populus eis creditus ſeduci ac corrumpi facilius, q̄ recte doceri poteſt.

Ad verbi Dei Doctorem ſeu Concionatorē pertinet, vt Euangelium & ſacras Scripturas ſynceriter tractet & doceat, non ſecundū ſenſum: quem prius conceptū, ipſe ad Scripturas attulit, ſed iuxta ſenſum & interpretationem ſanctorū & orthodoxorū Patrū. Ita enim nec ipſe errabit, nec alios in errorē ſeducet. Hinc Canones ſuadēt, ſanctorum Patrum Homilias ſeu Euangeliorū enarrationes in Eccleſia recitare. In anniuerſarijs quoq; ſanctorum Martyrum diebus, licebit ſecundum Aphricani Con-

ci-

cilij Canones recitare eorum passiones post Euangelia, si tamen certæ sunt,& fide dignis scriptoribus proditæ.

In Concione nihil prophanũ,incertũ,fabulosum,aut illo indignum loco adferatur,nihil suspectũ,nihil inconstans,nihil nisi quod tota probat Ecclesia, & à maioribus acceptũ est,vt sic forma seruetur secundũ pręceptũ Apostoli sanorum verborũ,& doctrinę sanę,quibus sancti Patres & Ecclesia Dei, quæ columna est & firmamentũ omnis veritatis,consueuerunt. 2.Timo.1. 1.Timo.3. 1.Timo.3. 1.Corin.9.

A quæstionibus itẽ difficilibus & perplexis Ecclesiastes abstineat:non oportet eñ ad ingenij & eruditionis ostentationẽ prædicare, sed vtiliter ꝓ ędificatione populi:Idcirco debet se demittere ad captũ auditorũ,& nũc Cathechistam agere,nũc interpretẽ scripturarũ,nũc viciorũ reprehensorẽ,nũc doctorẽ mysteriorũ, & sapientiã loqui inter perfectos, omnibusq; omnia fieri,ad omnes Christo lucrifaciendos. 1.Corin.2. 1.Corin.9.

Nec sit contentiosa declamatio,aut rixosa. Contendere enim verbis (inqt Apostolus) ad nihil vtile est,nisi ad subuersionẽ audientium: Sed modesta, sobria, grauis, seriosa, neruosa, qua potens sit exhortari doctrina sana,& eos qui contradicunt arguere. Caueat quoq; scurriliter conuiciari,calumniari,scommata & dicteria in alios iacere, suum expuere liuorem, subsilire, incompositis moribus gesticulari, plebem concitare in absentes,Clerum vel Magistratum,qui etiam si reprehensione dignum 2.Timo.2. Ad Titũ.1.

ali

aliquid admisissent, non est tamen illorũ causa ad plebis iudicium referenda : quin potius
1.Timo.2. contra in omni concione admonendus est populus, vt pro Clero & Magistratu orent.

Subinde quoties locus opportunus incidit, concionatoribus faciẽda mentio est misericordiæ, charitatis, & bonitatis Dei erga nos, quo dubitãtes & anxios ad bene sperandũ, & amandum Deũ inflamment: ita tamen, vt etiã iustitiæ eius, qua pro benefactis cœlũ, pro malefactis gehennã & æternum suppliciũ reddit, nõ obliuiscantur, quo malos à peccatis deterreãt, & ad resipiscentiam, Eleemosynas, satisfactiones, & opera pietatis inducant, ne sint quales pseudoprophetę, de quibus apud Ezechielem
Ezechiel.13 dicitur: Deceperunt populũ meum, dicentes, pax, pax, & non est pax: Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eam absq; luto, & absq; paleis & temperamento, &c.

Frequenter etiam per hanc emergentium vndiq; hæresum tempestatem, confirmandus est populus catholicę fidei doctrina, vt suppullulantes zizanias vitare queant: hortandus vt verbũ Dei attentus audiat, sed à Catholicis & synceris, ne sub melle verbi Dei propinet aduersarius ei aconitũ. Instruendus de Sacramentis, & eorum mysterijs, vt eis secundũ Ecclesię traditionẽ ad salutẽ suam religiose vtatur, vt Missæ officio libenter intersit, votis Ecclesiæ vota sua coniungat, cum sacrificium offerente sacerdote, ipse quoq; mortem Christi pro pec

eatis suis, cordis sursum eleuati manibus patri offerat, frequēti cōfessione se expurget, corde mundo & auido salutarē corporis Christi cibum excipiat; diebus festis, sanctis tantū incumbat operibus. breuiter ad omnia pietatis Christianę exercitia ipsum instruat & formet. Inculcet quoq; sedulò decalogi pręcepta, eaq; explicet, ad quod etiam proderit Catechismū sæpius relegere.

Ad postremū & tamē ante omnia meminerit Ecclesiastes, vt exemplis Pauli, castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, ne vbi alijs prædicauerit salubriter, eosq; ad pietatem adduxerit, ipse seruus sit ventris & peccati, ac reprobus efficiatur. 1.Cor.9

¶ De administratione Sacramentorum.

Ecclesia quæ sola Sacramentorum thesaurum à Christo accepit, nouit etiam verum ac legitimum eorum vsum, custoditq; substantialia ipsorum immutata. Ceremonias verò, quas plerumq; significationis aut pietatis excitandę causa, vel ipsa instituit, aut ex traditione Apostolica accepit, & orationes solemnes, ac ritus in administrando, pro vtilitate & ædificatione Ecclesiæ mutare potest & solet: quam tamen potestatem nemo priuatus sibi vsurpare debet, sed potius sequi in omnibus receptā vniformitatem: tum ob reuerentiam atq; obedientiam, quæ debetur sacris Canonibus, antiquis traditionibus, & Imperatorum pijssimorum legibus, tum

ad confusionē & schismata in Ecclesia Dei vi
1.Cor.11. tanda, iuxta illud Apostoli: Si quis videtur cō tensiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.

Ne verò hęc tāta Dei beneficia, quę ad oīm salutē à Christo instituta sunt, ignorētur, aut putētur ociosa esse spectacula, nec suo habean tur loco, vel etiā indignè tractentur, Debet po pulus in eorū administratione (vbi cōmode fieri poterit) frequēter etiā in Concionibus, vbi inciderit locus, doceri, quid in Sacramēti cuiusq; collatione agatur, quis sit eius fruct⁹, qd velint signa externa, quomodo Dei virtus præsens inuisibiliter eis adsit, quomodo etiā dignè vel indigne percipiātur, & ijs similia.

Rectius in Ecclesia Occidētali Sacramenta lingua latina q̄ vernacula celebrātur. Conseruatur em̄ mysterijs (vt Basilius ille magnus ait) silētio sua authoritas atq; maiestas. Quòd aūt putant quidā oīm referre, vt Sacramento rū mysteria lingua omnibus intellecta peragantur & administrētur, quò gratia Dei, quæ illic operatur, cognoscatur ab omnib⁹: arbitramur cōmodius hoc fieri posse, cōcionibus frequētibus ad populi captū demissis, q̄ paucis il lis verbis, quib⁹ in Sacramentorū celebratione Ecclesia vtitur, ijsdēq; mysticis & sacratioribus, q̄ vt à quouis è vulgo statim intelligantur. Et sanè ante vilescēt vulgo Sacramēta ver nacula lingua celebrata, q̄ vt suo habeātur lo co, dębitaq; veneratione colātur. Quippe qđ

ea,

ea, quæ captũ ingeniumq; noſtrũ excedũt,attẽtius miremur atq; obſeruem⁹, intellecta verò propemodũ negligamus. Attamẽ vt in Baptiſmo abrenunciationes & ꝓfeſſiones fidei, ſecundũ antiquas agẽdas, & in Matrimonio, ſicut hactenus fieri conſuetũ eſt in Eccleſia catholica, cõſenſus contrahentiũ lingua vernacula requiratur, non improbamus.

¶ De adminiſtratione ſacramẽti Baptiſmi.

QVamuis orationes illæ ſolennes & ceremoniæ, quibus circa Baptiſmũ eccleſia vtitur, nõ ſint Sacramẽto eſſentiales non poſſunt tamẽ abſq; graui ſacrilegio cõtemni, nec omitti ſine ſchiſmate, aut animę periculo, niſi facultatẽ eripiat neceſſitas. Statim eñ à tẽpore apoſtolorũ cœpit cõſuetudo illa, quam eccleſia hucuſq; religioſe obſeruauit, vt baptizarentur fideles in aqua inuocatione nominis Chriſti ad baptiſandũ benedicta, & prius exorziaretur exſufflareturq; contraria poteſtas, & ſignũ crucis fronti baptizandi imprimeretur, aureſq; ei aperirẽtur ad audiendũ deinceps verbũ Dei, & ſal ſapiẽtiæ ſignificatiuus ori iniiceretur, & diabolo per ſe vel ſponſores ſuos abrenunciaret, profiteretur q; ſymbolũ Apoſtolicũ, & in pectore ac ſcapulis tanq̃ nouus athleta inungeretur, cui cõtra diabolũ pugnaturo, & cordis (quo creditur ad iuſtitiam) conſtantia opus eſt, & corporis robore ad mandata Dei opere implenda. At poſt immerſionẽ iam Chriſto incorporatus, in Roma. 10.

vertice vngebatur,induebaturq; veste cādida custodiendæ innocentiæ signo:atq; ita præferebatur ei cereus ardens,tanquā per tenebras mundi in luce ambulaturo. Quib' ceremoniis significatur, quid tota vita exercere, quid cogitare,meditari,& operibus implere debeant baptisati. Ideo sæpius debent hæc populo exponi, vt professionis suæ, qua Christo iniciati sunt,frequenter admoneantur.

Curandum est etiā,vt susceptores,seu sponsores paruulorum sint prouectæ ætatis,in fide probè catechisati atq; instructi, quò non ore tantum, sed & mente ac seriò, ad interrogata respondere,suum munus intelligere,& paruulos vbi adoleuerint,in fide orthodoxa (si res poscat) instituere possint. Id enim ipsorum, quam pro paruulis baptizandis Deo & Ecclesiæ faciunt,sponsio requirit.

¶ De administratione Sacramenti Confirmationis.

EPiscoporū est ad confirmandos baptizatos suam Diœcesim frequentius circumire,mysterij huius originē & Chrismatis arcanum,si non per se, saltem per Concionatorem idoneum populo exponere : pro captu tamen paruulorum, vt & ipsi hinc aliquid fructus percipiant.

¶ De Missæ Ceremonijs.

CAnon Missæ quem tot iam seculis retinuit Ecclesia Dei,nihil continet quod non sit consonum ijs, quæ à tempore Apo

Apostolorum apud altaris sacrificium suppli cata, pronunciata vel obseruata sunt, id quod liquet ex antiquorũ veteris Ecclesiæ Patrum scriptis, in quibus ipsa Canonis verba alicubi est reperire, vt prorsus sacrilegum sit, eum vel damnare, vel authoritate priuata immutare. Debet idcirco ille, quemadmodum hactenus factum est, in missa religiose ac submissa voce (quò mysterijs tam tremendis sua conseruetur authoritas) pronunciari.

Quod ad reliquas Missæ partes attinet, & si oẽs illæ nihil sint aliud, quàm aut laudes Dei, aut preces ecclesiæ, aut lectiones Sacrę, & ideo minimè negligenter habendę, tamẽ si quas nouas collectas, Sequentias, Præfationes, & id genus res, vel indoctis vel incertis & apocryphis historijs innixas, aut Missæ sacrificio parum congruentes, recentior ætas inuexit, tales oẽs tollendas censemus, atq; ad probatissimorum codicum fidẽ restituendas. Debentq; Episcopi pro officio suo huic repurgationi, adhibitis ad eam rem viris doctis, dare operam, quò pura, emendata, certa & solida existant omnia, quæ in sacratissimo illo officio dicuntur.

Epistolæ & Euangelia pro reuerentia quæ eis debetur, semper pronuncietur in Missa lingua latina. Dominicis vero & Festis diebus in Parochialibus ecclesiis plebi lingua vernacula exponatur, siue ante Sacrũ solenne, siue sub ipso: Nec Concionis tempore vlla Missa celebretur, quà populus ab auscultatiõe distrahatur,

tur: ſed neq; ſub ſacro ſolenni conuenit, vt coram populo eodem legantur etiam miſſę ſpeciales, quibus hûc illuc populus diſtrahatur, auoceturq;, vt nulli ſacro ſatis intendat. Verũ interim nõ minus curandum, ne ſacrum illud protrahatur æquo prolixius, generetq; potius faſtidium auſcultantibus q̃ deuotionem.

Organa nihil laſciuum ſonent aut ſeculare, ſed quod ipſa etiã plebs intelligat religioſum ac pium eſſe. Et præſtiterit Symbolum totum cani, ſimiliter Pręfationẽ & orationem dominicam, quàm partem relinqui organis, ſicut magno abuſu alicubi conſuetum eſt fieri.

Nec cõuenit, vt ſub eleuatione Sacræ hoſtiæ cantentur Antiphonæ, ad hoc Sacrificium nõ propriè pertinentes, quales alicubi dicuntur: De pace, de beata Virgine, de S. Sebaſtiano, aut alio quopiam Patrono, quæ melius à Sacro peracto cantarentur.

Et fraternæ charitatis redintegratio, & pax nobis à Chriſto relicta poſcit, vt oſculum pacis, vbi mos eius dãdi exoleuit, in Miſſis ſolennioribus reſtituatur. Sic vt imaguncula crucifixi domini pacificatoris omniũ, ab ore Sacerdotis, pacem populo imprecantis, ad aſtantes deferatur, quam ordine in cõcordiæ & pacis Symbolum, oſculentur omnes.

Docendus itẽ eſt populus frequẽter, de myſterijs Miſſæ, vt Miſſam audiens, vota ſua ſacrificanti Sacerdoti coniungat, & ad finẽ vſq; donec benedictionẽ Sacerdotalẽ acceperit, perſe

ueret, sæpiusq; communicent: si non semper externa sumptione Sacramenti, saltem spiritualiter, desiderio fructus Sacramenti & vnionis cum Christo. Verum interim non minori diligẽtia monẽdi sunt, vt qui peccati vinculo retinentur ligati, absque absolutione & veræ emẽdationis proposito, à mysteriorũ illorum diuinorũ perceptione abstineãt. Palã vero criminosi, & qui peccati certissimã occasionẽ dimittere nolunt, siue sacerdotes sint, siue Laici, omnino à communione abarceantur.

Similiter docendus est populus, vt quamuis in Missa piè orent pro spe salutis & incolumitatis suæ, incommodisq; temporalibus vitandis, cauendas tamẽ esse omnes superstitiones, quales sunt, polliceri alicui è certis Missis certam fortunam, securitatem in aggressibus temerarijs, aut aliquid huiusmodi.

Tametsi omnis Missa sit officium publicum, & ad totam pertineat Ecclesiam, nemini tamen vetandum est, sua deuotione priuatim vti, & quod publicũ est, celebrare pro Ecclesia non publicè: modò cum grauitate omnia exequatur, & orationes ac lectiones sacras clare ac diserte pronũciet, vt possit à circũstantibus audiri & intelligi, & habeat (secundũ sacrorum canonũ sanctiones) præsentes, qui Ecclesiæ nomine respondeãt, vt verba quę dicuntur cõgruant etiam rebus ipsis. Curent etiam Episcopi, vt ignoti Sacerdotes, & qui publicis criminib⁹ infames sunt, aut solũ quęstũ sectan- 1.Timo.6.

 tur,

tur, ad celebrationē ſacri huiꝰ nō admittãtur.

Cùm iubeāt Canones eccleſiaſtici, vitalē hoſtiam ſeruari, vt ſemper habeatur parata pro infirmis, quibꝰ viatico illo opus fuerit, fides & religio noſtra prorſus exigit, vt in loco ſeruetur honorato, cũ perpetuo lumine: quò admoneamur eo loco p̄ſentē eſſe illũ, q lucē habitat inacceſſibilē, quiq; tenebras noſtras illumīat.

Quãdo in ſolennibus Feſtiuitatibus ad amplificandũ cultũ diuinũ, aut in magnis ſupplicationibus ad corda fideliũ cõpungenda, circũfertur hoſtia illa ſalutaris, oēs ludi prophani, & quicquid nō valet ad verã deuotionem excitandã, remoueatur. Nec deferatur Sacramentũ extra eccleſiã, niſi graues cauſæ poſcãt, & ſint q digno illud honore, tanquã verè præſentē Chriſtũ proſequantur, atq; adorent. Sed & quando ad infirmos defertur, præferri debet lumen, & campanella, ad dandum fidelibus ſignum, pulſari.

¶ De Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione.

INfinitam peccandi licentiam Confeſſionis Sacramentalis neglectum conſequi, piorum omnium vox eſt, & negari non poteſt. Quamobrem decernendum, quod & ab Eccleſia ſalubriter inſtitutum eſt, & à Patribus diligenter obſeruatum, vt quotquot Chriſtiani nominis ſunt homines, ſaltem in anno ſemel peccata ſua Sacerdoti confiteantur. Quòd ſi recuſent facere, Eccleſia protinus

nus eijciantur. Etenim vt sæpè confiteantur ij, qui sæpius peccant, propria ipsorum salus efflagitat. Eximiaq́; cuiusdam pietatis est, pec cata statim vt commissa sunt, lugere, confiteri dignaq́; satisfactione mortificare.

Veteres rigidiore disciplina satisfactionem publicã exigebãt: de quo Canones pœnitẽtiales adhuc extant. Verũ ad seueras illas publicæ pœnitẽtiæ leges desperamus, fide & charita te admodũ languentẽ populũ hoc tempore posse reduci. Ergo quando hoc nõ datur, consuetudini posterioris ætatis insistendum est: quę obtinuit, vt cõfessis ꝓ satisfactione iniun gerẽtur orationes, eleemosynę, ieiunia, & id genus opera pietatis, quib⁹ scripturę diuinę testãtur pœnã peccatis debitã dimitti. Nonnunquam grauiores imponũtur, sed occultæ afflictiones ad satisfaciendũ, secundũ pœnitẽtis facultatem, & peccatorum magnitudinem.

Quare prudentes oportet esse Confessores, qui norint distinguere leprã à lepra: & ita de peccatis inquirãt, ne scandalizent pusillos: ita satisfactiones iniungant, vt sint simul & medicinales, quibus animæ morbus curetur.

Quò verò quàm minimum retrahantur homines à confessione, videtur nobis hoc tempore profectò expedire, vt cõfiteri volentes, non ad vnũ solũ cogãtur, sed vt pluribus (idoneis tamẽ) Sacerdotib⁹ fiat absoluẽdi potestas, etiã in casib⁹ reseruatis, quos adire sit om̃ib⁹ liberũ, idq́; pro arbitrio Episcopi & Ordinarij loci.

¶ De

¶De Vnctionis extremæ administratione.

PRO more quem hactenus tota seruauit Ecclesia, Sacramentum vnctionis supremæ fidelibus impartiendum est, cum Litanijs & Orationibus huic negotio cógruentibus, quales sunt illę, quas à maioribus acceptas, tota Ecclesia seruat. Studebitq; Sacerdos infirmum consolari, atque à curis & desiderijs transeuntis huius vitæ, ad spem salutis æternæ erigere, diabolū & terrores eius non formidare, In Christi misericordiam, qui nouit figmentum nostrum, & tulit iniquitates nostras, pro quibus & mortem sustinuit, tota mente sperare ac fidere, atq; ita confirmatum, cum benedictione Christo commendare. Nec abs re fuerit, vt rediens Sacerdos, habeat oratiunculam ad comitantem multitudinem, qua infirmitatis humanæ admoneantur, & vt pro laborante in extremis, studeant feruentius orare.

¶De Sacramenti Matrimonij administratione.

QVI Matrimonio iungi affectant, debent doceri, vt sciant qua religione & fide nubatur in Christo, & clamdestina illa, quæ carnaliter incitante sola Venere præter Ecclesię Christi ritum contrahuntur, non esse religiosa & Christianis digna Matrimonia. Et quāuis illa, vbi contrahentes fuerint personæ legitimæ, sint rata veraq; Matrimonia, nō tamen ob id esse Deo grata, vtpote

gra

gratia Sacramentali destituta, donec vitiū suū emendent, & ecclesiæ legibus subdantur. Ideo iungendi Matrimonio admoneri debēt, vt parentū & amicorū vtantur consilio: exemploq; Tobiæ, Ieiunijs & orationibus sese præparēt, ac commendēt gratiæ Dei, qua quod reliquū est vitæ, deinceps peragendū erit. Neq; enim possunt filij sanctorū (vt in Sacris dicitur) ita coniungi sicut gentes quæ ignorant Deum. Tob. octa.

Nec debet Sacerdos Sacramento huic alibi q̃ in ecclesia (q est proprius Sacramētorū locus) benedicere, nec admittere seu cōiungere quoslibet sibi oblatos, nisi quos post proclamationes, vt minimum tres, tribus diebus Festis, sibi succedentibus ad populum in cōcione publice factas, cognouerit nullis impedimentis irretitos, quosq; examine facto exploratum habeat, nō cogi ad hanc copulá inuitos à parentibus vel cognatis, sed animo eá libero appetere.

¶De Ceremonijs Ecclesiasticis.

CVM ceremonię sint pietatis incitamenta quædam, & alimenta, quibus sublatis ipsa quoq; frigeat, languescat, atq; emoriatur pietas, Nulla vnquam religio absq; ceremonijs potuit constare. Idcirco ceremonias, maioribus nostris, hominibus religiosissimis vsitatas, retinendas, reuocandasq; censemus. Non quidem propter speciem operū, aut signorum externorū vim & meritū, sed quòd ad varios pietatis vsus valeant: nec itē quòd in ipsis fiducia salutis sit locanda, sed quia exer-

citia

citia quædam sunt, quibus corpus simul cum mente ad Deum, seu cultũ eius attrahatur.

1. Cor. 11. Ephesior. 3. Actorũ. 9. Lucæ. 18. Sic secundum doctrinam apostolicã orant viri nudato, fœminę velato capite: & genua in terram figimus, corpus cum spiritu humiliantes: & tundimus pectus, quod malefactorum conscientia dolere debebat & conteri.

Sic in terroribus & periculis inclãmato nomine Christi, signam⁹ nos signo crucis, quo diabolo sua in nos potestas imminuta adẽptaq; est. Idẽ ituri dormitũ, propter timores nocturnos facimus: & manè quoq; surgẽtes, quò tota die à malis ꝓtegamur hoc signo muniti. Quin Tertulliano teste, antiqui Christiani olim, siue vestes induerẽt, siue deponerẽt, siue domo ꝓdirent, siue aliud qd agerẽt, aut inceptarẽt, ad singulas actiões consignabãt se cruce. Nõ potest eñ negligere pietas vera Christi signũ, aut à cogitatiõe eius, quæ signo illo renouatur, esse ociosa. Sic cibũ & pótum sumebãt, benedictione

2. Timo. 4. præcedẽte, memores illius Apostolici: Sanctificatur per verbum Dei & orationem.

Hinc & aqua, & sal, & herbæ, & ignis Paschalis, & fructus noui, aliaq; humanis vsibus necessaria (de quibus ad Adã, in quo peccauimus

Genesis. 3. oẽs, dictum est: Maledicta terra in ópere tuo) benedicũtur & sacrãtur in nomine Christi per orationẽ, qua petit ecclesiæ minister sacerdos, vt Deus illa ad sanctificationem, & salutis nostræ profectũ, potentia & bonitate sua contra aduersarias potestates, incantationes, magias, frau-

fraudes,& machinationes inimici, qui nocere hominibus nō desistit, nobis concedat valere. Et valent vtiq; fidelibus ob benedictionē sacerdotalem per verbum Dei & orationē, quæ alioquin nullā aduersus spiritales nequitias, & potestates inuisibiles in seipsis virtutē habebunt: atq; hinc adeò cùm aspergimur aqua benedicta, oramus mente & habitu, vt à peccatis amplius lauemur: cū salem sumimus exorcizatum, vt vitam nobis & sermonem omnem concedat Deus habere sale conditum.

Cereos aūt accēdimus in gloriā illius, qui lucē inhabitat inaccessibilē, & illuminat omnē hominē venientē in hūc mundū. Sed Sanctos luminibus veneramur, quos viuere cū Christo in gloria in regione lucis prædicamus. At in fide defunctis cæteris, lucē ad sepulturā præferimus, orantes, vt lux perpetuæ luceat eis.

Thura incēdimus, significatione, quòd oporteat orationes & desideria nostra sursum ad Deum cum odore bonorū operum ascendere. Apocal. 8.

Processionum, alias lætas ducimus in modū cœlestis cuiusdā exercitus, ordine compositas, de Christi gloria & triumpho exultantes, & canentes. Qua de causa crucis signum & vexilla in aëra sustollimus, ad significandā aëreæ potestatis expugnationē. Alias agimus tristes & soliciti in tribulatione, quam peregrini in hoc exilium peragrantes patimur, veniam peccatorum & misericordiam supplicantes.

Consecramus item Ecclesias, altaria, calices, pal

pallas, vestes sacerdotales, cāpanas, aliaq; Ecclesiæ vasa, quę vsibus eximūtur ciuilibus seu ꝓphanis, & ministerio tantū sacramentorū Christi aptātur ac mācipantur, vt sciamus, in ecclesia nō nisi sacris & diuinis rebus vacandū, gratia Dei illic ceu numine quodā pręsente. Campanis vero ab operibus & negocijs secularib⁹ nos ad orationē, laudes Dei, & sacra mysteria inuitari, cogitemusq; è tanto vasorū apparatu, & tot cōsecrationibus, quāta reuerētia sacrificiū corporis & sanguinis Christi à rebus prophanis sit secernendum & dijudicandum.

De quibus omnib. debet populus sedulò ac frequēter doceri, ne ceremonias religiosissime institutas in abusum aut superstitionē vertāt, sed ad pietatē exercendā ipsis vtātur, vtq; processiones, rebus secularibus ac vanis proscissis sint graues, ordinatæ, honestæ, ac Christiana religione dignæ. Reprobi verò, & quibus studia ista pietatis vilescunt, redarguantur.

¶ De disciplina Cleri & populi.

DIsciplinæ pars bona iam tradita est in descriptione officiorū. Etenim vt suū quisq; pręstet officiū, pręcipua est disciplinæ regula. Hoc tantū restat, vt vicia quędā publica, quę emendationē Cōcilij definitione non expectata requirunt, retexamus.

Contra ordinē & dignitatē Cleri cū primis sunt luxus & auaritia, quas res etiā plebs execratione dignas in Clero ducit. Debet igitur Clerus à luxu prophano, fastuoso, carnali prorsus

ſus eſſe alienus,& primũ ſeruare decorũ in habitu & inceſſu. Sit habitus ſimplex & honeſtus,nó limbis,non inciſſuris cóptus,mundus tamen:Superior veſtis ſit talaris. Nec incedát Clerici cum multi famulitij ſtrepitu,aut gladiis accincti,terribiles,ſed venerabiles,qui aliter ſe contemptibiles reddunt.

Menſa quoq; ſit frugalis, nec lauta nimiũ, nec ſumptuoſa.Pópoſus vero eſculentorũ apparatus, & exquiſitæ ad luxũ deliciæ, longus accubitus,& comeſſationes frequétes deteſtandæ & fugiédæ, ſimiliter infamis, & ſacris literis damnata ebrietas,& ſtudiũ cópotandi,atq; ad æquales hauſtus prouocãdi, cui Propheta væ imprecatur: Væ (inquit) qui potétes eſtis ad potandũ vinũ, & viri fortes ad miſcendã ebrietaté. Quin ſacris Canonibus decretũ eſt, tales ab officio & beneficio ſuſpendere. Eſaiæ.5.

Porrò qs ferendũ putet, vt ſcortationi indulgeát,& adhęreát cócubinis,quibus ſacrificii & orationis (ad quam debent perpetuò eſſe accincti) cauſa,cóiugio etiã alioq honeſto & licito abſtinét. Qui adhæret,inquit Apoſt.meretrici,vnũ corpus cũ ea efficitur. Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Quibus verbis ſignificat ſcortatores à Chriſto excidere.Tantam ergo indignitaté à clero magna pœnarũ ſeueritate veteres perſecuti ſunt. Concilium Neoceſarienſe Niceno antiquius, ſtatuit presbyterum, qui vxorem duceret, ab ordine deponendum: ſi fornicaretur autem, I.Cor.6

vel

vel adulteriũ cõmitteret, etiã extra ecclesiam abijciendũ,& ad pœnitentiã inter laicos agendã redigi debere. Vt aũt nõ ferant hæc secula tantã seueritatẽ,& sit mitius agendũ, sacerdos, diaconus,& subdiaconus fornicationis, adulterij, aut suspectę familiaritatis cõuictus, remota protinus cõcubina, primũ nõ pœna pecuniaria, sed suspensione ab officio & beneficio, secundũ scãdali grauitatẽ plectẽdus est: qui si facinus nõ emẽdet, & iterũ cõuincatur, plectatur seuerius. Vbi verò apparuerit eum effrenẽ & incorrigibilẽ factũ, & nec pudore infamiæ retineri, nec pœnis abarceri à scelere, in modũ equi aut muli, quibus nõ est intellectus, beneficio secundũ canones prorsus priuetur. Sed & cõcubinas, quę posthac cũ clericis habitare sibi permiserint, per excommunicationem ab ecclesia & cœtu fidelium expellere oportet.

Et ne tantũ dedecus clericalẽ dignitatẽ amplius dehonestet, reuocãdi sunt omino in vsum canones antiqui. Conciliũ Nicenũ nõ permittit Episcopis, sacerdotibus, diaconis, aut subdiaconis, habere domi subintroductã seu extraneã fœminã, nisi fortè aut matrẽ, aut sororẽ, aut amitã, aut tales quæ fugiãt suspicionem. Conciliũ Carthaginse tertiũ, cui Augustinus interfuit, extendit hunc canonẽ etiã ad fratrũ vel sororũ filias: sic & canon à Syricio latus, nullas fœminas permittit clericis cohabitare, nisi sanguinis necessitudine clerico iunctas. Verũ suspicionẽ nõ fugiũt iuuẽculæ formosę, la-

lasciuę, cultę, procaces, imperiosę, ociosę, impudẽtes, curiosę. Si admittatur ergo quę suspicionẽ fugiat, annosa, quę annũ quadragesimũ superauerit, ętatę formę, verecũda, sobria, pudica, inculta, laboriosa, seuera, & quę testimonio publico casta est, vidua, vel virgo senex, in ministeriũ domesticũ assumi potest: & ne cum tali quidem familiaritas nimia est habenda.

¶ De pluralitate beneficiorum.

TOllenda est etiam ex Clero omnis Simonia & ambitio; ac quia sine graui Ecclesiarum detrimento accidere non solet, vt aliquis plura q̃ vnum (maxime si curata sint) beneficia occupet. Solus enim per oẽs Ecclesias, si munere suo recte ac diligẽter fungi velit, nec officium persoluere, nec rebus earum necessariã curam impendere valet, curandum est, ne quis plures q̃ vnam metropolitanas aut cathedrales ecclesias teneat, & ne Clerici singuli in posterum plura, q̃ vnum, beneficia acquirant atq; obtineant.

Sed quia tenuitas beneficiorũ facit, vt cũ eorũ singula multis in locis possessores suos alere atq; sustentare nequeant, causam arripiãt, cur plura beneficia coaceruẽt atq; possideant: Archiepiscopi aut certe Episcopi curẽt, vt p vnionẽ, aut per aliã quandã viam, beneficiorũ tenuiorũ redditus ita augeãtur, vt de singulis beneficijs singuli possessores satis emolumẽti, p munere atq; dignitate q[illegible]q; sua habere possint: Nã vt ambitiosam pluriũ beneficiorũ cupidita-

tatẽ,quæ malã omnino speciẽ habet, ex ecclesia tollendã censemus: ita vicissim ministris ecclesiæ prospiciendũ putamus,vt habeãt vnde cõmodè viuere possint. Dignus enim est operarius mercede sua. Qua in re arbitramur,eorum beneficiorum,quibus cura animarum annexa est,cum primis rationem habendã esse.

Matth.10. Lucæ.10.

Qua in re hanc sequãtur rationem Archiepiscopi & Episcopi,vt si census alicuius Ecclesiæ pro veteri præbendarum atq; beneficiorũ numero ad iusta ministrorum emolumenta non sufficiant, beneficia, quæ nullam Ecclesiarum necessariam functionem habent, illis vniantur: Aut præbendæ ac beneficia ad paucorum numerum redigantur, donec è singulis possessori cuiq; iusta emolumẽta suppeditari queant,vt causa non sit cur vnus nõ vno beneficio sit contentus.

Res enim ita constituenda est,vt non deserat quisq; officium, propter quod datur beneficium,sed in loco beneficij sui resideat,ac muneri ecclesiastico quod huic annexum est,ipse diligenter incumbat. Et cogitet quanti sit momenti vigilare pro animabus, & ab eis nõ discedere,pro quibus aliquãdo coram tribunali Dei rationem redditurus sit.

Intererit igitur nõ solũ ecclesiarũ,sed etiam possessorũ, si plura beneficia curata iam obtineãt,vt vno qd maluerint,eisq; ad iusta emolimenta sufficiat retento,cętera intra annũ sine vlla pẽsione resignẽt.Sed si forte de iure,quod

se

se acquisiuisse putãt, recedere nolint, imponatur necessitas eisdẽ, vt dispensationẽ sedis Apostolicæ Ordinario loci exhibeât, ac si legitima fuerit dispensatio, relinquãtur beneficia illis: Ordinarius tamẽ loci iuxta cõstitutionẽ Gregorij decimi in Cõcilio Lugdunẽsi, quam etiá Tridentina synodus innouauit, prouideat etiá per idoneorũ Vicariorũ deputationem, & congruæ portionis fructum assignationẽ, vt cura animarũ beneficijs illis annexa nó negligatur nec beneficia ipsa debitis obsequijs fraudẽtur: atq; vt hic ijs qui iam possident, & ius habent acquisitũ, indulgendũ videtur, sub hac tamen cautione, quam Conciliũ Lugdunense pręscribit. Ita in acquirẽdis beneficiis in posterũ, coaceruatio eorundẽ atq; pluralitas, de qua vetus est quærela, eaq; non iniusta, omnino debet vitari: ac ne salubre institutũ curiales turbent, huc vt accedat autoritas summi Pontificis, quàmprimum impetrandum videtur.

Debent aũt qui incorporatas habẽt cum decimis & cẽsibus ecclesias, quas velint retinere, non nisi idoneos atq; à secularibus & sordidis negociis liberos Sacerdotes eis pręficere, qbus de victu & vestitu honesto, & cópetentia iusta prospiciãt: qua in re si fuerint negligentes aut auari, Episcopi erit pro suo officio & remouere ineptos, & idoneis de ecclesię illius decimis & iuribus quantũ honestum est decidere atq; assignare, aut reclamantia Collegia vel Monasteria, suo iure (ob negligentię culpã) priuare:

dignus est enim operarius mercede sua, & qui Euangelio seruit, de Euangelio debet viuere. incũbit aũt Parochis plus reliquis Canonicis & Sacerdotibus curæ & laboris.

Species alia cupiditatis est, si quæstũ secularem aut lucrũ turpe sectentur Clerici, & sint vsurarij, negociatores vel caupones: quæ vicia omnes Canones in Clero damnant. quin &

2.Timo.2. scriptura dicit: Nemo militans Deo implicat se negocijs secularib⁹, vt ei placeat, cui se probauit. Proinde nemo Clericorũ amplius recipiat q̃ dederit accõmodato, si pecuniã (inquit Conciliũ Carthaginẽse) pecuniã, speciẽ eandẽ quam dederit, nec vltra, aut iustũ pro ea preciũ accipiat: secus faciẽtes fœneratores sunt, ab officio & beneficio suspendendi, excõmunicandi, & ad ecclesiasticam sepulturam, secundum Canones non admittendi.

Antiqui Canones prohibent Clericos ingredi tabernas tantũ abest vt ipsis liceat tabernarios esse. Can. apost. 53.

Nec licet mercationes Clerico exercere, vẽ emat quæ posteà vendat. Nec item cauponem agere, vt domũ suam vertat in œnopoliũ seu tabernam publicam, nec sortilegijs, diuinatiõnibus, aut etiam venationibus indulgere: quæ omnia sacris Canonibus seueriter prohibita sunt, In Capitulis disciplinæ, in Visitationibus & quoties deprehenduntur, per Episcopum, Archidiaconos, Decanos, & eorum Officiales punienda.

Sacerdotes item nobiliũ & diuitũ ciuiũ seruitio, sine Episcopi cõsensu & authoritate, se non ita mancipent, vt seruiãt in negocijs pro-

pha

phanis, & à cura Sacerdotali alienis.

¶ Disciplina populi.

POpulus præter obedientiã quam Principibus & Magistratui ciuili debet, ad eam quoq; quam Episcopis debet & ecclesiæ Prælatis, sine qua in disciplina cótineri non potest, redigendus est. Quin etiam lex diuina exigit, vt obediant ac subiaceant Præpositis suis, quorum est peruigilare vt reddant rationem de animabus eorum, quo cum gaudio quod officij sui est faciant, & non gementes. Debet ergo populus Clerum, Parochos & illos superiores ordines venerari, eorum facta nõ temerè iudicare, nec aduersus Presbyteros suos cõtendere, aut duros vel refractarios se exhibere, sed morigeros & obsequentes. Ad Christũ enim (cuius legatione fungũtur) pertinet eorũ tam contemptus quàm honor. Hebræ.13.

Diebus dominicis & festis conueniat populus ad diuina, quę in Ecclesia celebrãtur, Concioné sub silentio audiat, & memoriæ cómendet, nec strepitu aut deambulatione vel Concionatorẽ vel auscultãtes perturbet. Patres & matres familiãs audita illic secũ domũ perferant, secundũ quæ liberos & familiã instruãt ad pietatẽ, doceant eos Deum, qui inspector est omniũ actionũ nostrarũ, timere, eiq; salutem suam quotidie cómendare, memoria retinere, ac frequẽter recitare Symbolum apostolicum, Orationem dominicam, Salutationem angelicam, Præcepta decalogi, & quicquid

ad virtutẽ bonosq; mores pertinet: frequenter interesse diuinis, verbum Dei attentè audire, orare, Clerum & Magistratum honorare, erga omnes modestos & placidos se gerere, malam societatem fugere, horrere à blasphemijs, iuramentis & execrationibus: non contendere, litigare, aut insolescere, nemini iniuriam irrogare, senioribus cedere, increpationes & castigationes æquanimiter ferre, vera loqui, mendacia detestari.

Ceremonias quoq; pietatis Christianę, quales suprà descripsimus, & instituta Ecclesiastica de ieiunijs & abstinentia carnium, de Ferijs, de Processionibus, & id genus ritibus, populus religiose ac pie obseruet.

Libri contagiosi, de falsa Religione suspecti, & qui Lucianico more, cum Deo, cum sanctis, cũ Religione, & Sacris iocantur, trahuntq; ea in ludicra spectacula, populo curioso prohibendi. Neq; enim ad pietatem & bonos mores faciunt. Legat autem populus libros Sacros, sanctos Patres, Vitas sanctorũ, Historias præclarorum & fortium virorum, quibus ad pietatem, virtutẽ, studia honesta, religionis & reipublicæ amorem accendatur.

Abstineatur ab ebrietate & cõpotationibus, quibus & naturæ vires eneruãtur, & malis ingentibus sæpè datur occasio. Nec pateãt œnopolia & tabernę diebus Festis ante Sacrum in ecclesia peractum, nisi peregrinis & infirmis. In transgressores Magistratus animaduertat:

Ani-

Animaduertat quoq; in seductores populi, q̃ noua dogmata, ab ecclesia nõ recepta, non verentur spargere: in Sacrilegos, in periuros, blasphemos, vsurarios, adulteros, & crimina publica, quibus corrumpitur iuuentus, imò omnis ætas, & propter quę Deus respublicas sępe magni cladibus afficit.

Principes seculares & Magistratus ciuiles, non patrocinentur eis, qui in Clero & populo reformari detrectãt, sed Episcopis & Prælatis ecclesiæ sint auxilio, eorumq; decreta fideliter exequantur, & ordinem præscriptum cogant obseruare. Iurisdictionẽ quoq; & libertatem ac immunitatem ecclesiasticam, Imperatorũ legibus, & Sacris Canonibus Episcopis & Clero tributam ac firmatam, tueantur, ipsiq; conseruent. At hi qui Prælatos, ecclesias, eorumq; bona in fidem, tutelam, ac protectionẽ suam recepere, & cõtra fidem datam, pręfectura seu protectione sua abusi, ecclesijs, quas tueri debebant, grauia & iniqua onera ausi fuerũt imponere, æquum est, vt præfectura seu tutela per Cæsa. Maiest. Commissarios amoueantur: eis autem qui abusi non sunt, limites & ius præscribantur, vt apertè constet, quid alteri alteris inuicem debeant.

¶ De Visitatione.

VT visitent Episcopi suas Diœceses, non nupera est inuentio, aut à Patribus primum introducta, sed hic mos ab Apostolis descendit. In Actis scribit Lucas, Act. 15. 16.

Paulum circumambulasse regiones,in quibus prædicauerat verbũ Dei,vt videret quomodo haberent se fratres,& vt cõfirmaret eos in fide, traditionesq; Apostolorũ & seniorum eis prçciperet custodiendas,quç ferè omnia sunt, quæ ad visitationem pertinent.

Debet itaq; Episcopus, si nõ iuxta Toletani Concilij decretum,quotannis propter latitudinem Prouinciæ, saltem quarto aut quinto quoque anno totam Diœcesim suã per se, vel suum in Põtificalibus Vicarium circumire ac visitare, & inter visitandũ, pueros baptizatos confirmationis Sacramento signare. Archidiacones verò, seu Chorepiscopi & Decani rurales, territorij seu regiunculæ suæ Ecclesias, singulis quibusq; annis visitare debent : Ad hoc enim negotium in partem sollicitudinis Episcopalis vocati sunt.

A Visitatione Episcopali nulla Ecclesia sit exempta,sed à Cathedrali ad Collegia,à Collegijs ad Monasteria,nisi proprium habeant Visitatorem, à Monasterijs ad ecclesias Parochiales,ab his ad Oratoria,Hospitalia,Scholas & Bibliothecas transeatur : In quibus præcipua sit cura Episcopo, vt primùm Cleri vitia, deinde populi eradicet, ne qua radix amaritudinis sursum crescat, p quã inquinentur multi. Siquidem neglecta Visitatione, Religio omnis corruit, & robur acquirit impietas.

In locis visitandis delegantur imprimis viri probi, boni nominis, & fide digni quatuor,

quin

quinq; aut plures, secundũ Cleri & plebis, subiectorumq́; pagorũ multitudinẽ, quibus conuersatio Cleri & populi, fama quoq; vulgaris sit nota: qui & obstringantur iuramẽto, ad dicendũ liberè, audacter, & securè, ira, odio, amore, & affectibus prauis remotis, ea de quibus est Visitator pro emendatione & correctione malorum percontaturus. At leues delatores, nisi probent quæ deferunt, non audiantur.

Procedendum aũt in inquisitione à capitibus ad mẽbra inferiora, à Decanis ad Canonicos, Vicarios & ministros infimos: ab Abbatibus ad Procuratores & monachos, à Parochis ad sacerdotes, ædiles, & hostiarios, deinde ad laicos reliquos. Inquirẽdumq́; in Collegijs & monasterijs, vtrũ canones & regulę obseruentur, vtrum seruetur frequẽter Capitulũ disciplinę, & qua seueritate: an corrigantur illic vicia quotidie subnascẽtia, an reuerẽter & debitè seruetur cultus diuinus, an satisfaciãt maiores & minores suo quisq; officio, secundũ ea, q̃ supra exposita sunt: an sint vlli concubinarij, adulteri, ebriosi, criminosi, infames, aut suspecti de hęresi, vel alijs malis. Externa, qualis est habitus & tonsura, ędificiorumq́; & bibliothecæ status inspici debẽt: De prædiorũ, censuũ, & iurium conseruatione inquirendũ. Sed specialiter in Parochijs, nũ intrusus sit Parochus,

ſtratione: itẽ de doctrina, de honeſtate vitę,& familię eius,&an boni Parochi munere in om nibus perfungatur. Sic de ædilib⁹,de ſacriſtis, ſeu cuſtodibus,num ornaméta,veſtes,ſacrę reliquiæ,vaſa aurea & argentea,ædificia,cenſus, prædia benè conſeruẽtur. Diligentiſſime vero inueſtigandũ,num deliteat in Parochia hæreticus,aut ſchiſmaticus vllus,nũ hæreſis aliqua occultis cõuenticulis diſſeminetur,an ſint qui curioſius de fidei myſterijs diſputẽt, & ſimplicibus inijciant ſcrupulos : item de obſeruãtia ieiuniorũ, proceſſionum, dierum feſtorum,& rituum Eccleſiaſticorum,de ſuperſtitionibus, maleficijs, blaſphemijs, periurijs, adulterijs, ſtupris,inceſtibus,odijs,diſſidijs,rebellione & contemptu eccleſiaſticæ & ciuilis poteſtatis, & ijs criminibus, quibus locus, qui viſitatur, ſolet diffamari.

Inquiſitione facta, quæ rectè ſe habent,laudabit: quæ malè,caſtigabit,& corriget: Intruſos Parochos, vagos Sacerdotes, quibus nulla certa functio eſt,&monachos fugitiuos,extrudet atq; eijciet: quæ per ipſum emendari nequeunt,referet ad Synodum Epiſcopalem, vt illic de huiuſmodi rebus ſecundum canones Eccleſiaſticos ſtatuatur.

In caſtigatione tamẽ ſit prudens & circumſpectus Viſitator, ne occulta prodat: ſed quæ occulta ſunt,clã etiã &occultè puniat,& ſanare curet:manifeſta verò publicè arguat,vocatiſq;,ſecundũ Lateranẽſis Concilij ſanctiones,

accu-

accuſatis, non primũ mulctã ab eis exigat, vt hactenus, pecuniariã: ſed pœnitentiam canonicam & publicam, quantũ eius fieri poteſt, imponat: ſic videlicet, vt peccatũ humiliter agnoſcẽtibus, veniamq; petẽtibus, & pollicentibus emendationẽ, pœnitentiã ſalutarem in ædificationẽ aliorũ, ad certũ tempus, pro magnitudine delicti, imponat. Contumaces verò & manifeſta ſua crimina agnoſcere, & pœnitentiam ſuſcipere recuſantes, ſi Clerici ſint, à miniſterio & beneficio remoueat, aut etiam pro criminis magnitudine excõmunicet. Laicos extra cõmunionem ſacramentorũ & conſortiũ hominum locet, ab omnibus vitandos, donec ad cor reuertãtur, & crimina ſua agnoſcentes, pœnitentiæ remedia ſuſcipiant.

Poſtea Viſitator oẽs in vniuerſum moneat, vt nõ ſolũ qui publicè peccarũt, ſed etiã quorũ conſcientiæ occulto peccatorũ reatu tenentur obſtrictæ, ipſi aut eis, quos in comitatu ſocios & cooperatores habet, priuatim cõfiteantur, vt poteſtate à Deo Epiſcopis data, abſolui à vinculis ſuis mereantur, & ſecretius pœnitentia ſalutari impoſita ſatisfacere.

Ad hanc formã viſitent quoq;, & inquirãt, ac pœnitẽtiam iniungant Archidiaconi & Decani rurales in ſuis regiũculis. Grauiora verò, & quæ per ipſos emenduri nequeunt, refe-

& particulares sunt synodi, synodo maiori subiectæ, & secundũ eius iudiciũ dirigendæ.

¶ De Synodis.

SAlus ecclesiæ, terror hostium eius, & fidei catholicæ stabilimentum sunt synodi, in quibus potissimum eminet Episcopalis apicis authoritas. Quapropter apostoli, & post apostolos magna illa Concilia, Chalcedonẽse & Lateranense statuerunt, vt Episcoporũ com prouincialiũ synodus quotannis bis celebraretur. Quod cùm in Germanijs propter prouinciarũ latitudinẽ fieri sit difficile, saltem diœcesanam synodum bis quotannis celebrare est necesse, in qua Archidiaconis, Abbatibus, Prælatis, Decanis, presbyteris, parochis, & clero suo Episcopus synodi caput præsideat: quẽ à synodo abesse non licet, nisi insuperabilis impotentia adimat ei facultatem. Concilium verò prouinciale statuerunt patres Concilij Basiliẽsis, ad minus de triennio in trienuium debere celebrari.

Prymo synodi die præsentibus qui ei interer ũt, inuocetur spiritus sanctus. Deinde Episcopus aut alius quispiã, cui ille hoc negotij imposuerit, adhortetur oẽs ad promouendũ studiũ pietatis, & ecclesiasticã disciplinam, ac correptionẽ viciorũ emergentiũ. Post exhortationẽ legantur nouissimi Concilij generalis vel prouincialis nondũ publicata decreta.

Deinde, eiectis ad publicationẽ Synodi vsq; laicis, & Clericis minorũ ordinũ, & eis qui ad

se

secreta Synodi cōcilia nō pertinēt, intromissis illis tantū, qui in consessum Synodalē recipiuntur: & Sacerdotibus ac dignioribus è Clero causam Episcopus exponat, aut alteri exponendā imponat, ob quam Synodus coacta sit, iubeatq; singulos per iuramentū, Notarijs qui omnia excipant, assidentibus, proferre in medium, ecclesiarum suarum, Prelatorum quoq; & populi, siue præsentiū, siue absentium vicia grauia, quæ à Synodo corrigantur absq; vllo personæ respectu: si sit Pastor aliquis nō legitimus, aut per vim intrusus, si negligēs officij, & incorrigibilis, si in Clero quis Simoniacus, si hæreses suppullulent, si in officio diuino irrepant abusus, si Prælatis aut Parochio bene præsidēti rebelles sint inferiores, si vlli male præsideant, si per tyrannidē potentiorū aut iudicia iniusta opprimatur Ecclesia, populus, viduæ, vel orphani, si sacrilegia cōmittantur, si violentur Ecclesiæ iura, si vsurarij sint in Clero vel populo, si incestuosi, si enormia crimina admittantur, à quibus nolint desistere, aut agere pœnitentiam.

Audiantur quoque appellationes eorum, qui ad Synodum prouocarunt, & absentium legantur epistolæ. Deniq; & laicis fiat potestas, suas querelas, modò res Ecclesiasticas concernant, aut ad iudicium Synodi pertineant,

tantum sessione, aut die vno, sed tribus quatuorve, aut quinq;, donec fuerit Synodus de causis sufficienter informata.

Perceptis viciis & querelis, consultandum inter Synodales cõmuniter & priuatim, qua ratione arbitrentur audita incommoda emendari posse, & tolli: ad quæ Consilia etiã Theologi & Iurisperiti, si res postulat, adhibeantur. Et nemo discedat, donec causæ omnes finiantur, dimittaturq; Synodus.

Vbi de executione eorum, quæ Synodi pars potior probabit fuerit constitutum, pulsatis campanis ad publicationem admittantur omnes, renouenturque canones ad correctionem viciorum, de quibus tractatum fuit, & eorum extirpationem valentes, aut etiam noui pro disciplinæ Ecclesiasticæ & pietatis restitutione condantur. Si quid non finiatur, reiiciatur ad Synodum prouincialem, illic discutiendum & definiendũ: rogeturq; Metropolitanus, vt quamprimum fieri conueniet, concilium prouinciale indicat.

Peractis omnibus, cantetur Te Deum laudamus, dimittaturq; Clerus & populus cum benedictione Episcopali.

¶ De Excommunicatione.

CVM excommunicãdi potestas in hoc à Christo Ecclesiæ tradita sit, vt impii, scelerati, contumaces, rebelles, & incorrigibiles, ab ecclesia, à Sacramentis, & communione fidelium pellantur, tradanturq; sa-

tha

thanæ in interitum carnis, donec ſuffuſi pudore reſipiſcant, & abnegata impietate, digna pœnitentia pro flagitijs ſuis Eccleſiæ ſatiſfaciant, eiusq́ue ſe iudicio ſubmittant: ſummopere Chriſtianis veris metuenda eſt, nec leuiter in aliquem ſtringenda.

Cauebit ergo Iudex, ne ob alias cauſas q̃ criminales, easq́; valde graues ac læthales, magno cum iudicio diuinâ hanc cenſuram, qua nulla eſt maior in Eccleſia, proferat, in eos qui aliter corrigi non poſſunt: ſic tamen vt feriendo magis ſanet, quàm vt prorſus interimat, atque vt ſpiritus ſaluetur in die Domini. In cauſis verò merè ciuilibus, iuris ciuilis diſpoſitiones obſeruentur.

Excommunicati, ſecundum Sacros Canones & ſcripturas, ſub grauis reatus incurſu ab omnibus vitari debent, & à nemine recipi in conſortium vel familiaritatem: Nec antè ad Sacramenta & communionem fidelium admitti aut abſolui, quàm pœnitentia ducti veniam ſupplices poſtulent, ſpondeantq́; emen dationem: & non modò Eccleſiæ dignā pœnitentiā pro perpetratis ſceleribus, ſecundum Sacerdotis iudicium ſatiſfaciant, verùm etiam illis quibus iniuriam